


H. CANNEGIETER.



De formis, quae dicuntur futuri exacti

— ET —

conjunctivi perfecti formae syncopatae in-so-sim.



TRAJECTI AD RHENUM

APUD C. H. E. BREIJER.

MDCCCXCVI.

DE FORMIS, QUAE DICUNTUR FUTURI EXACTI ET CONJUNCTIVI PERFECTI FORMAE SYNCOPATAE IN-SO-SIM.

De formis, quae dicuntur futuri exacti et conjunctivi perfecti formae syncopatae in-so-sim.

DISSERTATIO LITTERARIA INAUGURALIS

QVAM

EX AVCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. A. PEKELHARING,

in. fac. med. prof. ord.

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI CONSENSV

NOBILISSIMÆ FACVLTATIS PHILOSOPHIÆ ET LITTERARVM DECRETO

PRO GRADV DOCTORATVS

SVMMISQVE IN LITTERARVM CLASSICARVM DISCIPLINA

HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS

FACVLTATIS EXAMINI PROPONET

HENDRIK CANNEGIETER,

e pago Niehove (Gron.).

Die XXIX m. Octobris. A. MDCCCXCVI, Hora IV.

TRAJECTI AD RHENUM

Apud C. H. E. BREIJER.

MDCCCXCVI.

TYP. P. DEN BOER — UTRECHT.

PARENTIBUS OPTIMIS ET

SPONSAE CARISSIMAE.

Solent, qui dissertatione conscripta Almae Matri valedicturi sunt, parva praefatione gratias agere omnibus, quorum lectionibus interfuerunt. Neque ego hunc usum non sequar. Cum enim hos septem repeto annos, ante oculos mihi versantur omnia, quae debeo Academiae Trajectinae ejusque professoribus.

Longum est Vos omnes nominatim appellari, Viri Clarissimi, quorum per brevius aut longius temporis spatium interfui lectionibus. Grato semper animo recordabor Vestram omnium benevolentiam qua per omnes hosce annos erga me usi estis.

Te tamen excipio, Clarissime VAN DER VLIET, *promotor aestumatissime, qui per omne fere meum linguarum studium dux optimus et benevolentissimus mihi adfuisti.*

Quanquam studio academico peracto tandem intellexi et cognovi melius aliquem non in una eademque Academia per totum studii tempus remanere, per longum tamen id tempus, quod breviore temporis spatio fortasse non accidet, adamavi nostram Almàm Matrem: floreat et crescat!

Vos denique mihi appellandi estis Amici, quorum, quanquam pauci estis, fructus sum amicitia firmissima et fidelissima. Quocunque me fatum duxerit, vestrae amicitiae semper meminero.

ARGUMENTUM.

FONTES.

Brugman, M. U. — Morphologische Untersuchungen a. d. Gebiete der Indog. Sprachen von H. Osthoff und K. Brugman. 1878. sq.

Brugmann, Grdr. — Grundriss der vergleichenden Grammatik der Indog. Sprachen. 1886. sq.

Bopp, Vergleichende Grammatik.

G. Curtius, Temp. u. Modi, — Die Bildung der Tempora u. Modi im Griech. u. Lat. sprachvergleichend dargestellt. 1846.

Corssen,Ausspr. — Uber Aussprache, Vokalismus u. Betonung der Lat. Spr. 2te ed. 1870.

Corssen, Beitr. zur Ital. Sprachkunde. 1876.

Fr. Cramer, De perf. conjunctivi usu potentiali apud priscos scriptores latinos, dissert. Marburg. 1886.

Delbrück, S. F. — Syntaktische Forschungen von B. Delbrück u. E. Windisch. 1871. sq.

G. Hermann, de I. N. Madvigii interpretatione etc. — Opusc. VIII. p. 415. sq.

JACKSON, An Avesta grammar in comparison with Sanskrit. 1892.

LINDSAY — W. M. Lindsay, An historical account of Latin sounds and flexions. 1894.

LÜBBERT, — E. Lübbert, Grammatische Studien. I. Der Conj. perf. u. das fut. ex. im älteren latein. 1867.

MADVIG, Opuscula Academica. 1842.

MERGUET — H. Merguet, Die Entwickelung der lateinischen Formenbildung. 1870.

TH. MEIFART, De futuri exacti usu plautino. dissert. Jena. 1885.

NEUE — Fr. Neue, Formenlehre der Lateinischen Sprache. 2te ed. 1875.

OSTHOFF, Perf. — H. Osthoff, Zur Geschichte des Perfects im Indogermanischen. 1884.

STOLZ, Verbalflection. 1882.

SOLMSEN, Stud. z. l. l. — Studien zur lateinischen lautgeschichte. 1894.

SCHLEICHER, Comp. — Compendium der Vergl. gramm. der Indog. Spr. 2te ed. 1866.

RIEMANN, Syntaxe latine. 1890.

R. WESTPHAL, Verbalflection der lat. Spr. 1873.

WHITNEY, Skt. Gr. — Sanskrit Grammar. 1891.

R. KOHLMANN, Über das Verhältniss der Tempora des lateininischen verbums zu denen des Griechischen.

HANDB. — Handbuch der Klass. Altertumswissenschaft herausgegeben von Iwan Müller. 2te Auflage.

K. Z. — Kuhns Zeitschrift.

ARCHIF für lat. Lexicogr. u. Gramm.

Tria opera, quae nominatim agunt de argumento nostro, mihi non praesto fuerunt.

G. CURTIUS, De verbi lat. fut. ex. et perf. conj. 1844.

CH. BLINKENBERG, Om resterne af det sigmatiscke aorist i Latin.

J. V. NETUŠIL, Ob aoristach v latinskom jazykě. (Over de aoristi i/d Lat. taal). 1881.

PRAEFATIO.

Post Madvigii „*de formarum quarundam verbi latini natura et usu disputationem*" (ed. 1835, 1836; = *Opusc. Acad. alt.* p. 60 sqq) multae ortae sunt disceptationes de *ratione etymologica* et *syntactica* formarum perf. conjunctivi et fut. exacti, quae dicuntur; formarum sc. in—*sim* et—*so* cadentium. Cui rei necessario conjuncta est quaestio, quae sit perf. conjunctivi et fut. exacti in—*erim*—*ero* etymologia et vis syntactica. Deinde utrisque formis comparatis, quaerendum est, quo modo et qua ratione explicetur has formas modo eandem, modo diversam habere vim syntacticam.

Hisce de rebus diversas quae exstant componere opiniones meamque hic illic addere hoc libello conabor.

Duabus ergo quaestionibus primum respondendum videtur:

I. *Estne agnoscendum discrimen etymologicum?*

II. *Diversane existimanda est vis syntactica?*

Quadrifariam his quaestionibus responderi potest:

a. negatur discrimen etymologicum, affirmatur contra diversa vis syntactica.

b. formae diversa origine natae eandem habent vim syntacticam.

c. nullum exstat discrimen neque etymologicum neque syntacticum.

d. ét etymologia ét syntaxis utrarumque formarum differunt inter se.

Hanc jam nunc confiteor esse opinionem meam. Ceterae enim opiniones de his rebus stare non jam possunt, quippe quae non satis rationem habeant recentioris linguarum studii.

Attamen infra ostendere conabor *utrasque* formas esse *aoristos eandemque* ab origine habuisse *vim syntacticam.* Ne quis me vero inconstantiae et ineptiae accuset, animadversum volo me quadruplicem hanc respondendi rationem sumpsisse de vetustiorum grammaticorum opinionibus. Quare manifestis expressisque verbis statuendum censui, illas formas, quamvis utraeque sint aoristi, non ex *eadem forma aoristi* esse natas, *neque* in grammatica latina, quam agnoscit historia, *eandem habuisse vim syntacticam.*

Quo modo factum sit ut formae historicae in—*ero*—*erim*, quod ad syntaxin, differre videantur a formis in—*so*—*sim*, ostendam capite V.

CAPUT I.

Estne agnoscendum discrimen etymologicum inter formas in—so—sim et in —ero—erim?

§ 1. Quamvis plerique tractent hanc rem conjuncta quaestione syntactica, facile tamen eorum opiniones de ratione etymologica hic per se componi possunt. De formis in—_ero—erim_ nemo est qui dubitet eas ortas esse e formis in *—_iso_ *—_isim_, praetermissa _interim_ quaestione, quae sit harum formarum _natura_.

Sunt autem, qui opinentur utrasque formas ex hac una forma originali esse ortas:

dixo et _dixero_ <*_dixiso_, _dixo_ per syncopen, _dixero_ per rhotacismum quem vocant (s inter vocales fit r per *_z_, quod est „stimmhaftes" s.)

Item _amasso_ et _amavero_ <*_amaviso_. Partim sic opinantur:

*_amāviso_> *_amāvso_ >*_amāsso_ (i. e. per assimilationem τῶν v et s).

Curtius. _Tempora und Modi._ p. 339.

Schleicher. _Compendium._ p. 830.

Lübbert. _Gramm. Stud. I._ p. 6.

Notandum est eos ad formam _prohibessim_ explicandam fingere perfecti formam hypotheticam _*prohibēvi._

Aliter sensit Corssen:

*ámāvīso> *ámāvĭso> *ámāĭso> *ámāso> amắsso; accentu corripitur ī, v inter vocales evanescit, ĭ post ā elabitur, accentu mutato geminatur s. cf. _Aussprache._ I². 317. II². 563.

Est etiam discrepantia sententiarum in explicandis formis _empsim_, _faxim_, _axit_, _capsit_, _occepsit_, talibus; i. e. formis verborum, quae carent perfecto sigmatico.

Perfecta per—i facta per syncopen fingunt formas sigmaticas, quales _empsim_, _incensit_, _rupsit; empsim <*émisim._

Faxim, _taxim_, _axit_, _capsit_, _noxit_ per syncopen orta sunt ex perfectis hypotheticis in—si; _faxim <*faxisim._ (_*faxi_ et _feci_ eadem ratione qua _panxi_ et _pegi_ et _pepigi._) In formis _effexis_, _objexim_, _occepsit e_ nihil commune habet cum _ē_, quod est in fēci, jēci, cēpi.

Ita Corssen. _l. l._ p. 561.

Curtius _l. l._ p. 341. et Schleicher. _Comp._ p. 830. sic habent:

faxo <*fe—fac—so; capso <*ce—cap—so. (feci <*feïci <*fe—fici <*fe—fac—i. Curtius. _l. l._ p. 212). *fe—faci—siem> *feficisiem> *fēcisiem> fecerim. cf. Schleicher _K. Z._ VIII. p. 399.

Lübbert. _l. l._ p. 9 et 72. assentitur Corsseno. Arridet ei opinio, quam protulerunt Curtius et Schleicher, quibus tamen assentiri non potest, quia modo perfecta

reduplicata sint *vera perfecta.* At formae sigmaticae „sind so unzweifelhaft und unleugbar historische praeterita, dass sie nicht aus einem so entschieden als eigentliches perfect characterisierten tempusstamm wie der durch reduplication gebildete es ist und sein muss, abgeleitet werden können." Quare potius sibi fingit perfecta hypothetica in—si, quae omnia cum perfectis in—vi credit *aoristos*, et opponit illa *veris perf. reduplicatis* cf. p. 72.

Perfecta autem reduplicata eodem modo fingunt conjunctivum et futurum, sc. addito—*sim* et—*so* radici perfecti, quae formae *syncopen vero non admittebant.* p. 73.

tetigerim <*tetigi—sim tetigi
taxim <*taxi—sim *taxi.

Equidem non intellego qui fiat ut duarum formarum, quae *eodem* modo finguntur, altera syncopen admittat, altera non admittat.

Neque video quare una eademque forma sigmatica plenior, qualis **amavi—sim*, **dixi—sim* modo syncopetur, modo rhotacismo mutetur. Syncope enim viguit ante rhotacismum, testibus formis sigmaticis brevioribus, quae sunt sermonis vetustioris. Cur autem, dum vigebat syncope, non omnes ejusmodi formae syncopatae sunt, vel statim vel postea vigente jam rhotacismo, per analogiam formarum vetustiorum syncopatarum? Illi quaestioni responderi non potest, nisi respondeas cum Lübberto, veri perfecti, quae *syncopari non possint*, formarum trahente analogia, juxta formas *dixim*, *amassim* exstitisse *dixerim amaverim.* Demonstrandum tamen est cur

veri perfecti formae non syncopentur, nisi dicas has formas per se exstitisse labente syncopae usu et jam crescente vel paene peracto rhotacismo, qui peractus est ± 350 aCn.

Quod Lübbertus *l. l.* p. 72. omnia perfecta in—si et—vi *aoristos* existimat, modo, quod video, pertinet ad syntaxin; ex aoristi syntactici et perfecti confusione deinde omnia perfecta sumpsisse credit significationem *praeteriti historici.*

Gravissimum est eum ét—r—formas ét—s—formas, *dixerim dixim, amaverim amassim,* ex eadem forma originali **dixisim *amavisim* ortas esse putare.

§ 2. Prorsus discrepantem opinionem de etymologia protulit Madvigius *l. l.* Formae in—sim et—so nihil commune habent cum perfecto; sunt formae originales, et quidem *indic. et conj. futuri.* Comparat latinas formas cum graecis: *axo* cum ἄξω, et *amasso* cum γελάσω, ἐγέλασσα. cf. *l. l.* p. 65.

Haec tamen interpretatio prorsus *aetiologica* est. Quanquam ejus opinioni favere videtur formarum consonantia, origo ejus etymologiae quaerenda est in usu syntactico formarum in—sim. Formae in—so, excepto *faxo* et semel *indicasso* (Pl. Poen. 888) acceperunt significationen fut. exacti. Similis hujus opinionis est Madvigii sententia de relatione formarum per—r—fictarum. „Ejus quod est *amavi* nullus est conjunctivus"; i. e. conj. perfecti natura sua est conj. fut. exacti.

Bopp. *Vergl. Gr.* III. § 856. formas quales faxo, axo, non derivat a perfecto hypothetico *faxi, *axi; unde si derivandae essent, verbum auxiliare—si (*fac—si, *ac—si)

amovendum esset, ejusque loco addendum auxiliare—so—sim (sem).

An fortasse ex *faxero >faxo oritur? Cur autem ex fecero non etiam nascitur *fexo? An ex *faxiso? Potissimum derivat Bopp formas nostras de perfectis originalibus. √ fac. perf. **fe—faca* fut. ex. **fe—fac—so* >*faxo*. Quod si verum credere non liceat, nihil habet quod verum credat, nisi Madvigii opinionem, formas axo, amasso esse *futura* qualia ἄξω, γέλασω.

Aliam viam ingressus est R. Westphal. *Verbalflection der Lat. Spr.*, inde profectus, quod *amassim*, *ss* geminato, ortum esse non possit ex **amavisim*.

Laudat p. 301. opinionem, quam protulit Fr. Gräfe. (*das Sanskrit verbum a. d. Mem. der Petersb. Akad.* 1836 p. 107.) *amassim* natum esse ex* *amasesim*, illam vero sententiam non amplius explicat.

Planius Pott. *Etymol. Forschungen.* II. p. 94. (1836), qui derivat *amasso* a perfecto obsoleto **amā—si;* et ita *amassim* ab eo quod est **amasi—sim*. Illud *amāsi est perfectum, fictum addito perfecto √ es radici verbi *amare*, eodem modo quo *amavi*, addito perfecto √ fu (i. e. bhū). Diversitas syntactica formarum *amassim* et *amaverim* eadem est, quae est √ √ es et bhū.

Hac opinione veri similius nihil habet Westphal quod probet; itaque ex forma *prohibessit* non jam deducendum est perfectum hypotheticum **prohibēvi* sed **prohibēsi*. Tale perfectum obsoletum in—si illorum verborum, quorum ra-

dices in vocalem exeunt, eodem jure praesumitur quo perfecta qualia *faxi *axi *taxi. cf. Corssen, Lübbert.

Itaque hactenus mutat Lübberti opinionem, perfecta in—vi et—si esse aoristos, et ex eis modo fingi posse formas sigmaticas, ut dicat p. 306: praeter perfecta in—vi et—i (etiam reduplicata) olim exstiterunt perfecta in—si, quorum reliquiae servatae sunt in perfectis in–si quae agnoscit grammatica tralaticia. Ab his modo perfectis derivandae sunt formae sigmaticae.

Eodem modo, quo indicativus perfecti fingitur, radici verbi addito indicativo perfecti radicis es (**ēsī*), ita conjunctivus perfecti et fut. exactum, eidem radici verbi additis conjunctivo perf. et futuro radicis es (**ēsim*, **ēso*). Westphal p. 308. suspicatur perfectum √ es fuisse reduplicatum *es—esi unde *essi. Quod si ita esset, facilius explicaretur—ss— in amasso, talibus.

*essi: *dic + (e)ssi > dixi; *ama + (e)ssi > *amāssi

*essim: *dic + (e)ssim > dixim; *ama + (e)ssim > amāssim

*esso: *dic + (e)sso > dixo; *ama + (e)sso > amāsso.

§ 3. Nova hercle ratione explicantur formae sigmaticae ab eis, qui putant eas esse formas *aoristi sigmatici.*

Primum hanc opinionem prolatam invenio a H. Merguet, *Die entwickelung der lat. formenbildung.*

Huic sententiae conjuncta est opinio, perfectum in—si esse *aoristum*, etiam quod ad *etymologiam.*

Idem jam contenderat Bopp. *Vergl. Gramm.* I. § 546, sqq. qui tamen sine ullo discrimine omnes perfecti latini formas credit aoristos.

Merguet autem *l. l.* § 167. condendit perfectum in—si esse *aoristum originalem*, quod sequatur analogiam aoristi graeci in—σα et sanscritici in—sam. Adducitur ad hanc sententiam opinione sua, formas verbi, quae vulgo compositae dicuntur, non ortas esse posse ex compositione radicis verbi cum quadam verbo auxiliari, hic quidem sc. √es. cf. § 157, sqq. Sunt ergo formae in—sim *conjunctivi aoristi sigmatici*, quibuscum artissime cohaerent *futura* in—so. cf. § 175, 176. Quae autem verba in lingua historica habent perfectum non sigmaticum, illa formas sigmaticas derivant ab aoristo sigmatico obsoleto.

Post aoristum et perfectum in unum tempus confusa ex formis aoristi abstrahebantur quasi—suffixa—sim—so (—sem—se), quae deinde addebantur veris perfectis. Ita ex *dic—sim* finguntur **tetigi—sim*, **feci—sim*, **amavi—sim* et inde rursus **dixi—sim.*

Posteriores, qui de hac re scripserunt, auctores amplius et accuratius tractarunt formas nostras. Praecipue quod ad formas in—so, ad aliam pervenimus opinionem post Brugmanni *Morphol. Untersuchungen.* III, 1880. Formae in—so non jam sunt futura, sed *conjunctivi thematici* aor. sigmatici athematici.

Cur autem formae in—so non sunt futura originalia in—si̯o, qualia praebent linguae Ariae, Balto-Slavicae et fortasse Graeca? quia i̯ post consonantem, quotiens non evanescit illa consonans, fit *i sonans.*

Cf. Brugmann, *Grdr.* II, p. 123.

Factum esset ex *fac—si̯o— >*faxio cf. medius <*medh—i̯o— (Fut. graecum in—σω non incunctanter Brugmann existimare potest conj. aoristi; δειξω enim etiam <*δεικ—σι̯ω esse potest. Veri similis videtur confusio futuri Indog. in—si̯o cum conjunctivo aoristi thematico.)

Formae autem in—sim sunt ejusdem aoristi *optativi.* (ī = i̯ē in singulare translatum est e plurali. cf. *sim* pro *siem* e *simus*).

Causas cur accedere non possit opinioni, formas *dixo*, *dixim*, alias esse syncopatas, sic concipit Brugmann *M. U.* III, p. 38.

a. si formae breviores syncopatae essent, locum obtinuissent formarum pleniorum. Attamen formae breviores in monumentis nostris sunt vetustiores, pleniores contra recentiores.

b. si nobis fingendi essent conjunctivus et optativus aoristi sigmatici radicis *dei̯k̑, necessario secundum leges linguae exsisterent formae *dei̯k̑—s—ō et *dei̯k̑—s—i̯ē—m; quae latine fiunt *dixo* et *dixim.* Quare accipiamus licet *dixo* et *dixim* pro conj. et optativo aoristi; praestat enim prius quaerere formam originalem, unde derivemus formam historicam, deinde illa non reperta, quaerere aliam rationem qua forma quaevis exstiterit.

c. dixim e. t. modo habet significationem aoristi, nunquam notionem actionis perfectae.

Haec vera sint licet, restat tamen maxima difficultas in explicandis formis in—*asso*—*esso* (—*isso*). Discrimen syntacticum inter has formas et *dixo*, *faxo*, talia, omnino nul-

lum est; ejusdem ergo sunt originis; sed quo modo explicabitur —*ss*—?

Si in—asso—esso— (isso), a, e, (i) sunt *breves*, —ss—orta vel ex originalibus —ss—, vel ex —s(?) s—in unum concurrentibus, vel ex ratione scribendi ejus quod est—s surdum („stimmloses s"), nulla in ea re est difficultas. Sin autem a, e, (i) sunt *longae*, quaerendum est quare post vocalem longam —ss— non mutetur in—s—. Brugmann. *Grdr.* II. 2. § 842. credit originitus has formas factas esse additis —s—s, „da das —s suffix keineswegs ein speciell aoristisches suffix war.... so ist es nicht auffallend dass von solchen verbalen —s stämmen aoristformen mit —s gebildet werden".

Item Lindsay p. 463. explicat „the formations with double s as due to the addition of some —s suffix to a verbstem already composed by means of an —s suffix."

In *M. U.* III. p. 40. comparavit Brugmann formas nostras cum Celtico, quod vocant, —s praeterito verborum denominativorum, quod non solum est „eine *weiterbildung* des s—aorist" (cf. Zimmer K. Z. XXX.) sed forma originalis ficta per —ss— quia —s— simplex lege linguae inter vocales evanescit. Respondebit ergo celtica forma *carāss— radici aoristi *amāss—. *Grdr.* II. § 840. accipit hoc —s. praeteritum pro —əs. aoristo; radix enim aoristi est in—ăs (s), non—ās(s), cui obstat M. Cymr. *cereis* = amabam = O. I. carus.

Formae autem hibernicae sic derivandae videntur, formae sc. conjunctae:

carus <*carăs—s—ō. (ō non originale).
car(a)is <*carăs—s—es.
caris <*carăs—s—et. (forma absoluta).
carsam <*carăs—s—om—.
carsid <*carăs—s—ete.
carsat <*carăs—s—ont(o).

Conferenda autem Thurneyseni hypothesis, quam ibid. citat Brugmann, unde apparet nondum satis exploratam esse hujus praeteriti naturam.

Etiam Windisch contendit —s. praeteritum celticum fictum esse per—ss. [1])

Aliam excogitavit nostrarum formarum interpretationem Fr. Stolz. *Verbalflection* I. p. 65, quam tuendam censet etiam *Handb.* II. p. 374, nisi quidem praetuleris opinionem quam exposuerit Brugmann *M. U.* III. Ex originali autem aoristi infinitivi forma **amās—se* ortum est **amāssere* (cf. essere ex esse) et inde *amāsso*, qua forma nata id, quod erat originale: **amāso*, obsolevit. Veri similius tamen mihi videtur ab —āsso derivari—āssere, quam ab—*āsse per formam mediam—*āssere, derivari—āsso. Non offenditur Stolz —ss geminato post longam.

Osthoff. *Perf.* p. 221. aliter sentit: *originales* aoristi

---

[1]) Quod equidem cognovi ex ejus lectionibus, quibus Lipsiae interfui per semestre hiemale 1895—1896.

formae sunt *dixo*, *dixim;* formae *syncopatae* sunt *dixem*, *dixe;* his inter se comparatis et compositis oriuntur ex syncopatis *amassem*: *amasse* formae analogae *amasso*: *amassim;* ex *amasso: amare* nascitur *prohibessim: prohibere*.

Lindsay, p, 461, adfert formas graecas τιμήσω ἐτίμησα quorum —σ—ab origine geminatum fuerit, quippe quod —σ— inter vocales evanescat et ex—σσ— fiat—σ—simplex. (Cf εὖσα <*εὐσ—σα—ussi). Respondet ergo latino *amasso* (ā?) graecum *τιμάσσω.

Indicativi aoristi per—ss—ficti reliquias conjicit Lindsay p. 462. superesse in Umbr. Osco—tt—praeterito: teremnattens = terminaverunt, quasi *terminassunt; prúfatted= probavit, quasi *probassit.

Brugmann *Handb.* II. § § 45, 137; *Grdr.* II. p. 1179. aoristum denominativorum recentiorum ἐτίμησα, ἐφίλησα derivat ex analogia radicum suffixo radicali ā, ē, ō, fictorum quales ἔστησα, ἔβησα, ἔδησα, ἔγνωσα, quae formae exstiterint trahente analogia formarum quales ἔδειξα, aliae.

At in formis latinis agnoscit—s—s—in aoristis, qui omnes sunt etiam *denominativorum recentiorum!*

Si probare liceat Brugmanni opinionem de formis *amasso* cet., Lindsayi de τιμήσω cet., plurimorum de —s. praeterito celtico, contendamus in linguis *graeca*, *latina*, *celtica denominativa* aoristum sigmaticum finxisse, addito—s—radici auctae—(?) s—suffixo.

Grdr. II. p. 1202. Brugmann—ss—post vocalem longam interpretatur analogia earum formarum, quae — ss — post

brevem constantibus ratisque linguae legibus servent. Quintilianus tamen I. 7. 20—21 contendit tempore Ciceronis rationem scribendi adhuc esse *caussa*, *cassus*, *divissiones* atque in manuscriptis autographis Ciceronis et Vergilii s geminatum inveniri. In lege Rubria 49 aCn legitur *promeisserit* aliisque in inscriptionibus *caussa*, *accussasse*, *missit*. Cf. Lindsay p. 110. Index C. I. L. I₁, p. 601. 2.

Quamdiu autem formae in—asso et—assim vixerunt? Quo tempore adhuc pronuntiabatur *ss* in *caussa* cet., nostrae formae jam dudum erant inmutabiles et archaïcae locutiones. Antiquissima ergo ratione scribendi dederunt Romani *amaso*. cf. in lege Luci Spoletini: seiquis *violasit*, Jove bovid piaclom datod; seiquis scies *violasit* etc, quae scriptura remansit post rhotacismun τοῦ—s—inter vocales pervulgatum, quandoquidem in nostris formis—s—erat pro—ss—originali. Ennii deinde tempore illud—s—, quod vel geminatum vel surde, („stimmlos,") pronuntiabatur, in scriptura geminabatur, et in nostris formis servatum est, quae, antequam—ss—post longam transiit in—s—, in formulas immutabiles abierunt. Maximo huic rei adminiculo fuit analogia formarum *amassem*, *amasse*, quae ipsae nituntur analogia formarum unde ortae sunt, *amavissem*, *amavisse*.

Si autem agnoscendum est nostras formas, quod ad etymologiam, esse conj. et optat. aoristi alicujus sigmatici, equidem puto infinitivos in—*assere* et formas passivas, *faxitur* etc., esse formas recentius, i. e. in solo Italico fictas, „Neubildungen" quas dicunt.

Formas *passivas* enumerat Neue II.[2] p. 546: *jussitur* Cato. r. r. 14.1; *mercassitur.* C. J. L. I. 200: 70; *turbassitur* Cic. legg. 3.4.11; *faxitur* Liv. 22.10.6; Fest. p. 166 „*nancitor:* nactus erit", quare plurimi legunt *nanxitur.* cf. Stolz *Handb.* II. p. 374. Brugmann contra, non quidem disertis verbis dicit, quid de hisce formis sentiat; attamen videtur eas existimare formas originales.

Quod autem illae quatuor vel quinque formae passivae prorsus eidem usui inserviunt, cui formae activae, inde efficio eas esse formas per *analogiam* fictas, quae tamen vitales non essent. Sunt conamina, ut ita dicam, grammatica, nata eo tempore quo jam conjunctivus aoristi in—so loquentibus omnino idem erat quod fut. exactum. Infinitivi in—*assĕre* Neue II.[2] p. 541. decem enumerat exempla.

Romanis infinitivus in—ĕre artissime conjunctus erat cum verbis tertiae conjugationis. Cujus conjugationis formae in —asso praebent exemplum et trahente analogia verborum in —esso [1]), qualia *capesso*, *facesso*, facillime nastus est infinitivus in—assere. cf. Brugmann *Grdr.* II. p. 1285.

Quare autem non invenimus *prohibessere *ambissere? Non est obliviscendum contra *quinquaginta* fere verba, quae habent formam in—asso, *duo* modo extare, quae habent —esso (— *hibere* et *licere*) et *unum*, idque hypothetica modo exempla praebens in—isso (*ambire*). Si revera verba prae-

---

[1]) Quae *M. U.* III. p. 41. Brugmann putat esse conjunctivos, et ea *Grdr.* II. p. 1202, quod ad suffixum, paria aestimat nostris formis in—asso. cf. Stolz *Verbalfl.* p. 65.

sentia in—esso et—isso sunt conjunctivi originales, non est quod miremur. Habemus quidem infinitivos in—essere et—issere, sed non jam eadem notione, qua inf. in—assere, sed transierunt in sensum praesentis. Neque leguntur infinitivi in—ere formarum *dixo*, *faxo*, i. e. formarum, quae derivantur a radicibus in consonantem cadentibus. Cujus rei mihi videtur causa esse duplex. Primum abest omnis analogia praesentium in—xo; deinde 32 radicum, quae praebent nostras formas in—so—sim, 15 habent *perfectum* in—*si*. Quae formae in—so—sim statim adjunguntur *perfectis* in—si et facile perfecti pars necessaria existimantur. 11 radices habent aliam perfecti formam (rapio, noceo, tango, spondeo, occido, audeo, incendo, ago, facio, capio, jacio); de formis *insexim* (insequo), *ulso?* (ulciscor), *nanxitur?* (nanciscor) nihil pro certo affirmare possumus, quia ignoramus horum verborum perfecti formam; *comessi* Menaechmi 616 praetermittendum est cum recentioribus editoribus; *rupsit* in XII tabb. conjectura nititur; *empsim* nititur perfecto—*empsi* in compositis.

Major ergo pars nimis arte cum perfecto usitato in—si conjungebatur quam ut admittere possent infinitivum praesentis in—ere.

§ 4. Pauca his addenda sunt de conjunctivis plq. perfecti quales *dixem*, *amassem* et de infinitivis quales *dixe*, *amasse*.

W e s t p h a l. *Verbalfl.* in omnibus his formis contendit per *syncopen* syllabas —si—et—vi—esse deletas. cf. C o r s s e n. *Ausspr.* II². p. 553. 557.

Attamen quaerendum, num hae formae disjungendae sint a nostris formis in—so—sim, i. e. num fortasse sint *aoristi* formae.

Merguet. *l. l.* § 177. opinatur suffixa —sim et—sem esse „lautlich verschiedene Entwicklungen des ursprünglichen *saim(i)", quod verum esse non potest quia illud—*saim(i) nititur falsa opinione de natura graecae formae δείκ—σαιμι; *dixe* par esse putat graeco δεῖξαι.

Brugmann. *M. U.* III. p. 42. contendit *dixem* comparandum esse formae qualis graece fuerit *δείξοιμι i. e. opt. aor. ἔδειξα. Quod necessarium esset, si formae quales *faxem*, *capsem* (i. e. verborum, quae carent perfecto sigmatico) nullis dubiis obnoxiae essent. Attamen hae formae minime certis nituntur testimoniis.

Quare, quia certae formae in—em modo occurrunt derivatae a verbis, quae praebent perf. sigmaticum, Brugmann *l. l.* putat *dixem* esse fictum juxta *dixissem* eodem modo quo exstant *dixti*, *dixo*, *dixim* juxta *dixisti*, *dixero*, *dixerim*.

De his formis nihil invenio in *Grundriss;* quod autem omittuntur *Grdr.* II. § 824, equidem opinor Brugmann stare opinione sua in *M. U.* explicata, nostras formas esse per analogiam fictas. *Grdr.* II. § 162. A. I. idem videtur censere infinitivum *dixe* esse inf. originalem fictum suffixo (locativi sc.) —s—i.

Stolz *Verbfl.* p. 13. 14; *Handb.* II. p. 372. contendit formas quales *dixem* esse reliquias *indicativi aoristi;* ita:

*(e) —deic—s—*m̥*> dixem.

*ἐ —δεικ—σ—*m̥*> ἔδειξα.

et ex analogia juxta *dixe—dixem* ortum esse *dixisse—dixissem*.

Lindsay p. 508. § 49. idem obicit opinioni formas *dixem*, *dixe* esse formas originales, quod Brugmann *M. U.*, eas sc. modo verborum, quae habent perfectum in—si, esse fictas; nunquam vero juxta *capso* occurrere **capsem*, talia. (Tales formae si quae occurrunt, nituntur falsa codicum lectione. cf. Neue II^2. p 539)

Mihi arrideat opinio infinitivos in—se esse *originales*. (Pro certo statuere non possumus quot horum infinitivorum superstitum sint originales, quot vero ex analogia per formam in—isse redierint ad formam originalem in—se.)

Conjunctivus autem temporis praeteriti artissime adjungitur infinitivo: starem—stare, amarem—amare, plerem—plere, monerem—monere, legerem—legere, scirem—scire, audirem—audire.

Manifestum est facillime ex hoc quasi necessario nexu infinitivi et conjunctivi temporis praeteriti nasci conjunctivum plqpfti *dixem* juxta *dixe*.

Aliter vero etiam sentire possimus de ē—conjunctivo aoristi, sicut *starem* etc.

Quam quaestionem tamen dissolvere non possumus, quod constitui non potest, quas egerint partes syncope et analogia, quas vero formatio originalis.

Formae in—assem—asse—essem—esse—issem—isse *omnes syncopatae* esse videntur.

Cf. Solmsen *Stud. z. l. l.* p. 176 sq.

Licet ergo contendere formas in—so et—sim esse *formas aoristi originales*, unde formas quidem radicum in consonantem finitarum certa ratione explicare possumus, radicum autem in vocalem non nisi ad veri similitudinem.

Ad quamlibet autem formam originalem redire malueris formas in—ero—erim, omnes constat derivari a variis *perfecti* radicibus.

Est autem haec, quam dicebam, diversitas etymologica: non redeunt utraeque formae ad easdem formas originales.

CAPUT II.

Diversane existimanda est vis syntactica?

§ 1. A plurimis auctoribus varie huic quaestioni respondetur. Vidimus Cap. I veri simillimam formarum in—so et—sim esse interpretationem, eas esse conjunctivos et optativos—s—aoristi, juxta formas recentius fictas in—ero—erim, quae undecunque derivandae sunt, artissime cohaerent cum indicativis perf. grammaticae latinae tralaticiae. Crediderim ergo indic. aoristi et indic. perfecti confusos esse in unam formam miscellaneam, quae habeat ét aoristi ét perfecti significationem; dum hoc autem fieret, et ex ipsa hac confusione paulatim extitisse solitas perf. conjunctivi et fut. exacti formas, quippe quae, ut infra exponam, derivandae sint ab alio aoristi prototypo; diu autem adhuc servatas esse originales aoristi sigmatici formas in—*so* et—*sim*, quae significatione etiam suam ostendant originem.

Attamen cautionem res habet. Aoristi enim *formae* in linguis historicis non necessario conjuncta est aoristi *significatio*. Nobis non opus erit defendere, aoristum quandam

olim habuisse *propriam significationem originalem.* Ubi vero consideramus aoristi usum in lingua sanscritica classica, nullam iam propriam aoristi significationen repperire poterimus. Scribit autem Whitney *Skt. Gr.* § 825. „in the later or classical language they (indicativi aoristi) are simply preterits, exchangeable with imperfects and perfects; they all alike have in the older language the general value of a completed past or „perfect" translatable by *have done* and the like."

Attamen Delbrück *S. F.* II. p. 87. contendit in dialecto *Vedica* aoristum significare „*das soebem Geschehene*". Etiam in *Avesta* aoristus plerumque indicat „a simple past action, *usually but not always momentary.* cf. Jackson *Avesta Grammar.* § 624.

Quocunque modo haec res se habet, constat in lingua sanscritica classica evanuisse *propriam* aoristi notionem, idque documento esse poterit, in recentiore lingua non *necessario* aoristi formae inhaerere aoristi significationem.

Vicissim tamen, cum invenimus significationem, quae quadrat cum aoristi notione, admonemur, ut inquiramus an vocabulum, cui ea notio inhaereat, proferat ipsam aoristi formam. Investiganda est igitur vis syntactica formarum nostrarum, deinde quaerendum utrum haec quadret cum etymologia necne.

Memoravi p. 1, diversas sententias, quae de ratione syntactica et etymologica utrarumque formarum (in—so—sim sc—et in—ero—erim) inter se comparata exstare possint.

a. negatur discrimen etymologicum, affirmatur contra diversa vis syntactica;

b. formae diversa origine natae eandem habent vim syntacticam;

c. nullum extat discrimen neque etymologicum neque syntacticum;

d. ét etymologia ét syntaxis utrarumque formarum differunt inter se.

Jam dixi me amplecti opinionem sub d. allatam; utraeque enim formae non ab eadem forma originali derivantur, neque, quod postea videbimus, eandem vim habent syntacticam.

§ 2. Partim ergo verum attingunt qui opinantur *syntaxin esse diversam, sed nullum adesse discrimen etymologicum.*

Primus Madvig contendit differre inter se formas, de quibus agimus, quod ad syntaxin. Ceterum non hic recensendus fuit propter opinionem illam suam de ratione etymologica, formas sc. in—so—sim esse indicativos et conjunctivos futuri. Quia tamen auctor est melioris de vi syntactica rationis judicandi et quia etymologia, quam protulit, esse videtur minus etymologia quam interpretatio significationis aetiologica, ab illo initium feci.

Vidimus autem jam Capite I eum non esse adductum ad opinionem suam usu formarum in—so—; nemo enim, neque Madvigius neque quisquis integre et sine opinione praejudicata rem perscrutatur, negare potest formas in—so omnino pares esse formis futuri exacti sollemnis in eisdem sc.

constructionibus. (Etenim *faxo* solum retinet notionem futuri primi, et fortasse semel *indicasso* Poen. 888.).

Conjuntivus tamen in—sim *nunquam* habet notionem fut. exacti. (i. e. non habet notionem perfectivam.)

Quod imprimis inde apparet, quod consuetudo sermonis latini, quam nos dicimus „taalgevoel", non admittit construcnes quales sunt:

quaeso quid faxit.

nemo adeo severus fuit ut nunquam amassit.

Inde colligit Madvigius formas in—sim perverse perfecto ascribi. Atque opinatur formas in—so esse *futura prima* formasque in—sim eorum conjunctivos. Quo modo autem futurum I transire potuerit in notionem fut. exacti, explicat. *l.l.* p. 79.

Accedit etiam infinitivorum in—assere notio, qua semper indicatur tempus futurum.

G. Hermann *de J. N. Madvigii interpretatione* etc. *Opusc.* VIII. p. 415. sq. Madvigium impugnavit nostrisque formis vindicavit naturam et notionem perfecti. Attamen negare non potest neminem dicere posse: „quaeso quid faxit?" „nemo adeo fuit severus ut nunquam amassit."

Quare, ut sibi aliisque explicaret quo modo factum sit, ut formae ejusdem originis (formae sc. per—s—et per—r—fictae) tantopere significatione inter se differant, scripsit: „nam cum formae istae (se—in—so—sim) magis magisque obsolescerent, unde jam apud Terentium rarissimas esse ipse (Madvig) animadvertit, cumque fere in legibus tantum

et comprecationibus jus suum obtinerent, vetando orandove inservientes, paulatim visae sunt voluntati potius quam rebus praeteritis significandis aptae esse, cet."

Jure rogat Westphal *l. l.* p. 298. haec si vera sint, quo modo explicandum sit, apud Plautum formas sigmaticas nondum e sermone quotidiano evanuisse.

Longe gravissimus auctor opinionis, de qua nunc agitur, est Lübbert, qui in Studiis Grammaticis [1]) fusius hanc rem tractavit. Exemplis praecipue Plautinis, aliorumque auctorum compositis, concludit formas, de quibus agimus *carere notione praeteritali.* Citat conjunctivum et optativum aoristi graeci, quibus neque ipsis ab origine inhaereat notio praeteritalis, quique semper indicent rem futuram; „das factisch dagewesene bezeichnen die subjectiven modi noch nicht."

Itaque formae in—sim reperiuntur in diversis conjunctivi functionibus, quae omnes spectant futurum vel certe nullo cum tempore praeterito vinculo conjunctae sunt; formae in—so indicant „ein *bedingt* bevorstehendes sein." „Die älteste sprache [unterschied] mit feiner distinction die grade der potentialität in dem fut. exactum und conj. perfecti." (sc. in—so et—sim). Excipitur modo 1ª pers. sing.

Quo modo hoc explicandum erit, cum formae quales dixero, dixerim, indidem ortae unde dixo, dixim, *praeter hanc τῶν dixo et dixim significationem*, habeant etiam prorsus aliam?

---

[1]) E. Lübbert. Grammatische Studien I. 1867.

Formis originalibus *dic—si—so et *dic—si—sim tantum inerat notio, quam servaverunt dixo et dixim. Ex confusione aoristi et veri perfecti *dic—si—so et *dic—si—sim deinde sumpserunt notionem perfecti. Non inversa ratione formae originales habuerunt utramque notionem, quarum altera modo servata sit in formis sigmaticis. Refutat Lübbert aliorum de hac re opiniones.

Lindemann *in Capt.* 1. 2. 43: „ego tamen in eam sententiam inclino, ut haec omnia existimem *perfecta*, quae tamen non raro natura sua, ut omnia perfecta, praesentis notionem asciscunt."

Holtze *Synt.* II. 79. „Saepissime tamen conj. perfecti potentialem habet significationem, ut pro praesenti videatur poni, quod si fit, actio per antecedens quasi jam praeterita fingitur et animo repraesentatur."

Zumpt. *lat. Gramm.* § 528. non negat difficultatem quandam inesse in notione potentiali derivanda ex vera perf. conjunctivi natura; „es könnte nur geschehen auf der selben weise wie das fut. exactum in ein futurum simplex übergeht, durch eine energie des ausdruks, etwas unvollendetes als schon vollendet zu setzen."

Lübbert p. 59, non assentiri potest opinioni, vim syntacticam natam esse ex notione perfecti logici, neque ex illo fortiore genere loquendi („energie des ausdrucks), quo non excluditur nostrarum formarum usus perfectivus.

Quare autem 63 locis (cf. Lübbert p 59, A.), ubi occurrunt verba, quae formas ét pleniores ét breviores habent,

nullum invenimus exemplum formae brevioris cum notione perfectiva?

Aliam igitur explicationem excogitavit. Omnia perfecta latina *exceptis reduplicatis*, non sunt vera perfecta, sed *praeterita historica*, *aoristi;* itaque conjunctivi in—sim retinuerunt notionem originalem.

Etiam vera perfecta fingunt conjunctivum addito suffixo—*sim*, quae tamen formae non syncopantur, sed posteriore tempore rhotacismo mutantur.[1])

His formis inerat notio perfectiva; per analogiam extiterunt aoristorum formae per —r— fictae, in quas transiit notio perfectiva, ita ut ét aoristi ét perfecti conjunctivi vice fungerentur. Notio aoristi vicissim transiit in veri perfecti formas.

Sola aoristi notio servata est in formis sigmaticis.

Futuri exacti forma originalis ab origine significabat „das vollendete sein in der zukunft." Deinde post omnium formarum confusionem, id quod est fut. exactum grammaticae latinae assumpsit etiam indicationem temporis relativam, („relatieve tijdsbepaling"). Capite I jam dixi me non intellegere, quo tandem modo Lübbert animo sibi finxerit confusionem formarum et significationum.

Etiam Neue. II². p. 547, 549, affirmat discrimen syntacticum nec quicquam disserit de diversitate etymologica. De infinitivis in—assere mirabilem protulit opi-

---

1) Cf. Cap. I. p. 5. Lübbert. p. 73.

nionem, *eos sc. revera esse futura exacta.* „Credo hoc me impetrassere = credo futurum ut impetraverim, mihi impetratum fore.''

Licet nimirum in his infinitivis explicandis diversas temporis indicationes comminisci illisque adtribuere. Haec autem, quam dedit Neue interpretatio, videtur nata esse ex usu, qui specie quidem formarum in—so proprius esse videtur. Quicunque tamen sine ulla opinione praejudicata perlegit locos Plautinos *Amph.* 210; *Aulul.* 687; *Capt.* 168; *Casina* 271; *Mil.* 1128; *Stich.* 71; nihil aliud esse existimabit illos infinitivos nisi inf. *futuri.*

§ 3. Paucissimis modo verbis agamus necesse est de eo quod p. 1 sub *b* dixi: *formae diversa origine natae eandem habent vim syntacticam.*

Nullum inveni auctorem qui utrasque formas *revera* a diversis originibus derivet nec tamen agnoscat discrimen syntacticum.

Quod enim contendit Schleicher *Compendium* p. 830: faxo <_*fe—fac—so_ juxta formam recentiorem _fecero_ <_*feci—so_ eodemque modo _faxim_ < _*fe—fac—siem_ et _fecerim_ < _*feci—siem_ non est vera diversitas etymologica. cf. Schleicher *K. Z.* VIII, p. 3 qq.

§ 4. Venimus ad tertiam opinionem: *nullum exstare discrimen nec etymologicum nec syntacticum.*

Cujus opinionis auctores enumerantur a Lübberto: Ritschl, Fleckeisen, Curtius, Corssen.

Apparet Ritschelii et Fleckeyseni opinio ex lectio-

nibus Plautinis *Amph.* 207; *Men.* 597; 628; *Merc.* 758; *Rud.* 129, ubi legunt formas in—sim notione perfectiva.

Isdem tamen locis recentiores aliam lectionem praeferunt itemque alio modo interpretantur duos locos Varronis, quibus usi sunt ei, qui formis sigmaticis ascribunt significationem perfectivam

Curtius et Corssen, quod pertinet ad eorum opinionem de etymologia, potius recensendi essent sub § 3, nisi fusius de ratione syntactica egissent. Illi quoque utrasque formas derivant a *perfectis*, sive quae revera in usu sunt, sive quae finguntur. cf cap. I § 1.

Curtius autem *Temp. u. Modi.* p. 295. sq. 301. sq. contendit perfecta in—vi (ui) et—si esse *vera* perfecta, nata ex compositione radicis verbalis et perfecti radicum es et bhū. Igitur formae quae ab his perfectis derivantur necessario participes sunt notionis perfectivae. Vicissim eo quod perfectum latinum habet conjunctivum significatione praeteritali, prohibetur ne perfecto ascribat significationen aoristi.

Majoris momenti sunt, quae protulit Corssen. Post Lübberti disputationem conatus est in altera editione libri cui titulus *Aussprache* etc., refutare illius opinionem. Cf. *Musspr.* II[2] p. 566. not. Idemque in alio libello multa objecit Westphalio, quippe qui satis non habuerit rationem Corsseni opinionis in *Ausspr.* II[2]. p. 566. cf. *Beitr. z. It. Sprachk.* p. 524.sq.

In hunc autem modum ratiocinatur: quamvis ipse comparaverit perfectum latinum cum quibusdam aoristi Sanscritici

formis, quatenus utrumque tempus habet—ī—, minime dictum vult, perfectum lat. olim tantum indicasse „das eintreten einer tätigkeit in der vergangenheit". Nam praeter hanc significationem ab origine etiam habuit notionem *perfecti logici.*

Deinde ex variis exemplis ostendere conatur conjunctivum perf. syncopatum non caruisse significatione praeteritali. Quod etiam si verum non sit, tamen non recte judicasse Lübbertum, formas syncopatas *nunquam* habuisse illam significationem.

Quia enim, inquit, suffixa perfecti —i, —si, —vi indicant, sive „die in der vergangenheit eintretende", sive „die in der gegenwart abgeschlossenen handlung," altera certe notio *omnibus perfecti formis* inerat, neque licet partem formarum secernere, iisque solam notionem futuram ascribere. Ubi hanc inveneris cogitandum erit de deminutione significationis originalis.

Quod ad rationem hujus deminutionis pertinet, sequitur G. Hermannum.

Quae deminutio fieri potuit eo, quod perfectum amiserit „den bedeutungsvollen bildungsvocal ī," quasi propugnaculum significationis perfectivae.

In explicando ergo usu syntactico conjunctivi in—sim praetermittatur quaestio, fueritne aoristus originalis necne, quae lucide disceptari non possit.

Modo quaerere possumus, cujus potissimum significationis originalis accipienda sit deminutio illa, utrum perfecti logici,

an actionis, quae in tempore praeterito incipit („in der vergangenheit eintritt.")

Memoria tenendum est Corssenum significationem subjectivorum aoristi modorum derivare a notione actionis quae, „in der *vergangenheit* eintritt". Utroque igitur modo habebimus in nostris formis quandam *praeteriti* notionem. Quae cum ita sint, potius cogitat Corssen de debilitatione perfecti logici, qua quod nondum perfectum est tamquam jam perfectum ponitur. Cum periret vocalis illa formativa —ī— non jam sentiebatur vis perfectiva, quare patuit latius nostrarum formarum usus.

§ 5. Venimus ad quartam rei discernendae rationem: *ét etymologia ét syntaxis differunt inter se.*

Omnes de quibus adhuc egimus auctores profecti sunt a quadam opinione praejudicata, qua et ob quam opinionem alius alio modo rem porro interpretati sunt.

Recensuimus Madvigii futurum, nitentem usu et significatione formarum in—sim et—so et similitudine futuri graeci; Lübberti aoristum, (aoristum sc. syntacticum, quod video) ad quem statuendum adductus est propter syntaxin nostrarum formarum; Curtii et Corsseni interpretationes firmatas derivatione, quam veram esse putabant, a radice perfecti.

Cardo, in quo vertitur quaestio de diversitate etymologica, est opinio, praeter *perfectum* etymologicum linguam latinam habuisse *aoristum* etymologicum.

De discrimine syntactico omnes qui hic recensendi sunt

idem fere sentiunt; unum modo quaerendum est: possimusne discrimen syntacticum explicare discrimine etymologico necne. Primus Brugmann *M. U.* III, aoristum sigmaticum linguae latinae vindicavit, ad quam opinionem confirmandam adduxit usum formarum in—so—sim.

Jam Merguet *l. l.* § 175, 177, defendit aoristum etymologicum, attamen non satis firmiter ad rem probandam, simulque false judicavit de formis in—so.

Stolz *Verbalfl.* p. 12, 13, assentitur Lübberto de ratione syntactica; cujus opinio „sich recht schön mit Brugmann's analyse der formen deckt.'' cf. id. *Handb.* II, p. 274.

Osthoff *Perf.* p. 219, ut qui accipiat Brugmanni judicium de aoristis etymologicis *dixo* et *dixim*, non dubito quin agnoscat etiam discrimen syntacticum.

Lindsay p. 465, sic habet: „the forms in—(s) so may be called future perfects; thus faxo corresponds to fecero in Plaut. fgrm 62 (= Fretum, G. S. VII. p. 143, [1]). *Peribo si non fecero, si faxo vapulabo* but they are often used in the dramatists, as the ordinary fut. perf. is also used, in the sense of a future.

The forms in—(s) sim have *never* a reference to past time.'' (idem p. 461, 462 agnoscit etymologiam aoristicam.)

Ut recte discernamus et judicemus, triplici ratione agendum est.

[1]) Plautus. G. & S. = editio Teubneriana cura G. Goetz et Fr. Schoell. 1893—1896.

1. Exemplis compositis nulla opinione praejudicata, constituendus est usus formarum in—so et—sim.

2. Investigandum possitne hic usus explicari etymologia aoristi necne.

3. Explicandum, quo modo formae in—so—sim et in—ro—rim modo eadem modo diversa vi et sensu saepissime in monumentis litterariis obtineant.

CAPUT III

Exempla quae exstant formarum in—so et—sim.

De ordine, quo exempla disposui animadvertendum est, me longe discessisse a ratione, qua Lübbertus [1]) in iis disponendis usus est. Non enim sequor divisionem modo *conjunctivi et indicativi*, qua utitur grammatica latina tralaticia, sed inde profectus, ostendere conabor, *originales functiones optativi et conjunctivi* agnosci posse in nostris formis, quas Romani conjunctivi et indicativi nominibus comprehenderunt. Capite deinde IV fusius et accuratius exponam, quae tandem sint optativi et conjunctivi functiones originales et derivatae et qua ratione interpretandae sint formae per—s—et—r—fictae, ratione habita notionis aoristi, quae his formis propria est.

A. *Formae quas grammatica latina existimat conjunctivos.*

I. Optativus originalis.

§ 1. *Verus optativus in sententiis primariis positivis.*

Ennius Medea exul. frgm. XXII. ed. Müller p. 118 [2]).

1) l. l. p. 30—41, 87—91, 99—102.

2) Q. Enni carminum reliquiae ed. Luc. Müller 1885.

Juppiter.... qui res omnis spicis,.... Inspice hoc facinus! prius quam fiat *prohibesseis* scelus.

Festus p. 351, 10. „bene *sponsis* beneque volueris" in precatione augurali Messala augur ait significare „spoponderis, volueris".

Capt. 622 [1]) at ita me rex deorum atque hominum *faxit* patriae compotem.

Most. 398. ita ille *faxit* Juppiter.

Pseud. 923[c]. ita ille *faxit* Juppiter.

Cist. 742. at vos Salus *servassit.*

Persa. 330. quae res bene vortat.... ventri meo *Perennitassit*que adeo huic perpetuo cibum.

Pseud. 13. ita te Juppiter *prohibessit.*

Cornicul. fr. IV. mihi Laverna in furtis *celebrassit* manus. (locus corruptus.)

Liv. 29. 27. eaque vos omnia bene juvetis, bonis auctibus *auxitis*..... inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam *faxitis.* (in precibus Scipionis.)

Tertiae personae pluralis plurima inveniuntur exempla, et plerumque legitur forma *faxint* in sententiis quales sunt: *ita di faxint, di faxint, di meliora faxint.* Hujus formae exempla legimus: *Aulul.* 257, 788; *Capt.* 172; *Cist.* 51, 523; *Merc.* 285; *Most.* 463; *Persa.* 652; *Poen.* 911, 1400; *Pseud.* 315; *Vidul.* 86; *Hecyra,* 102, 134, 354; *Heaut.* 161.

---

[1]) Plautum laudo ex editione quam curaverunt G. Goetz et F. Schoell. Lipsiae Teubner. 1893—1896.

Alia ejusdem personae exempla sunt:

Asin. 654. di te *servassint* semper.

Casina. 324. di te *servassint* mihi.

Pseud. 37. at te di deaeque omnes quantumst . . . . *servassint* quidem.

Stich. 505. ita me di bene ament measque mihi bene *servassint* filias.

Trin. 384. di te *servassint* mihi.

Aulul. 50. utinam me divi *adaxint* ad suspendium.

Curc. 578. at ita . . . . Bene me *amassint.*

Pacuv. 112. (ed. Ribbeck). di monerint meliora atque amentiam *averruncassint* tuam.

Ennius Telephus. frg. IV. (ed. Müller p. 98.) qui illum di deaeque magno *mactassint* malo.

Afranius. 264. (ed. Ribbeck) di te *mactassint* malo.

Pomponius. 137. (ed. Ribbeck) at te di omnes... *mactassint* malo.

§ 2. *Verum optativum in sententiis primariis negativis* (neg. *ne* vel *particula negativa*) fortasse agnoscas in quibusdam exemplis, quae infra enumerabuntur sub § 8 [1]), in quibus equidem tamen opinor agnoscendum esse *conjunctivum* originalem. Omnes enim, quae ibi leguntur sententiae, sunt sententiae, quibus inest notio *timendi*, *monendi*, *vetandi*, ubi originitus conjunctivus suum obtinet locum. cf. Cap. IV.

§ 3. *Verus optativus in sententiis secundariis.*

---

[1]) Cf. p. 45.

Enuntiatorum *relativorum* unum modo inveni exemplum: sc. *Amph.* 461. quod ille *faxit* Juppiter; nisi hic etiam recensendas putas sententias optativas quales sunt: qui illum di *mactassint* malo.

Enuntiata secundaria cum conjunctionibus.

a. ut.

Aulul. 611. verum id te quaeso *ut prohibessis*, Fides.

Cato. r. r. 141. Marspater te precor *uti* tu morbos .... *prohibessis uti*que tu fruges .... grandire *siris*, pastores pecuaque salva *servassis duis*que bonam salutem. (de *siris* cf. Solmsen. *Stud. z. l. l.* p. 179.).

Titulus L. Mummi. a. u. c. 608. C. I. L. I. 542. tua pace rogans te cogendei dissolvendei tu *ut* facilia *faxseis.*

Ennius. Ann. IX frg. VIII. ed. Müller. p. 40. .... libertatemque *ut perpetuassint*, Quaeque axim ....

Afranius. 83. ed. Ribbeck. deos ego omnis *ut fortunassint*, precor.

Liv. 1. 18. Juppiter pater, si est fas hunc N. P. .... regem Romae esse, *uti* tu signa nobis certa *acclarassis* inter eos fines, quos feci.

b. ne.

Casina. 628. Cl., apscede ab ista, opsecro, *Ne* quid in te mali *faxit*, ira excita.

Captiv. 320. set te optestor, Hegio, *Ne* tuum animum avariorem *faxint* divitiae meae.

Truc. 524. *ne*, ille priusquam spolia capiat, hinc nos *extinxit* fames.

Phormio. 552. quaere, obsecro, *Ne* quid plus minusve *faxit*, quod nos post pigeat.

Pacuv. 122. ed. Ribbeck.

.... primum hoc abs te oro, *ni* me inexorabilem Faxis; *ni turpassis* vanitudine aetatem tuam, Oro, nive plectas fandi mi prolixitudinem.

Attius. 555. ed. Ribbeck.

quod te obsecro, aspernabilem *Ne* haec taetritudo me inculta *faxsit.*

Caecilius. 139. ed. Ribbeck.

hoc a te postulo, *Ne* cum meo gnato posthac *limassis* caput.

§ 4. *Optativus potentialis in enuntiatis primariis positivis et negativis.* (neg. *non* en *haud*).

Amph. 511. ego *faxim* [1]) ted Amphitruonem malis esse quam Jovem.

Aulul. 420, quoi ego .... male plus lubens *faxim.*

ibid. 494. ego *faxim* .... muli sint viliores.

Merc. 826. ecastor *faxim* .... plures viri sint vidui ....

Persa. 73 si id fiat, ne isti *faxim* nusquam appareant.

Poen. 1091. male *faxim* lubens.

ibid 1093. male *faxim* lubens.

Trin. 221. pauci sint *faxim*, qui sciant quod nesciunt.

Adelphi. 886. et tibi lubens bene *faxim.*

ibid. 895. lubens bene *faxim.*

---

1) Notanda est significatio formae *faxim* = ik wil wedden.

Pac. 424. ed. Ribbeck, topper tecum, sist potestas, *faxsit*; sin mecum velit....

Aulul. 474. jam hunc non *ausim* praeterire.

Bacch. 697. id non *ausit* credere.

ibid. 1056. ego cum illo pignus haud *ausim* dare.

Merc. 154. egon *ausim* tibi..... proloqui?

ibid. 301. sed *aussim*ne ego tibi eloqui fideliter?

Mil. 11. tam bellatorem Mars se haud *ausit* dicere.

Poen. 149. egone istuc *ausim* facere, praesertim tibi?

ibid. 1358. haud aliter *ausim.*

Eunuchus. 884. non *ausim.*

ibid. 904. neque pol servandum tibi Quicquam dare *ausim.*

Lucr. 2. 177. hoc tamen.... *ausim* Confirmare.

ibid. 6. 412. an hoc *ausis* nunquam contendere factum?

Asinaria. 503. haud *negassim.*

Cas. 347. non ego istuc verbum *empsim* titivillicio.

Mil. 316. non ego tuam *empsim* vitam vitiosa nuce.

Mil. 669. quid ad illas artis *optassis*, si optio eveniat tibi.

Pacuv. 209. ed. Ribbeck.

fac ut coepisti: hanc operam des mihi perpetem:

Oculos *transaxim.*

Lucr. 3. 444. aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo?

Corpore qui nostro rarus magis is *cohibessit?*

Hi quatuor loci non certi sunt, sed conjecturis sanati.

§ 5. *Optativus potentialis in sententis relativis.*

Asin. 613. mihi certumst ecficere omnia in me eadem *quae* tu in te *faxis.*

Mil. 624. si te quicquam, *quod faxis* pudet, Nil amas.

Pacuv. 298 ed. Ribbeck..... veniam precor Petens ut *quae* egi, ago, *axim* [1]), verruncent bene.

Liv. 3. 64. in lege sacrata anni 445 aCn. tum ut ii, *quos* sibi collegas *cooptassint* (cooptassent. cdd.), ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint.

Liv. 6. 41. in oratione Appii Claudii 367 aCn. *quod faxitis*, velim deos fortunare.

Syri sent. 515. ed. Ribbeck.

heu, quam miserumst ab eo laedi, de *quo* non *ausis* queri.

§ 6. *Optat. potentialis in enuntiatis condicionalibus.*

Difficillimum est in hisce enuntiatis separare et recte dijudicare, ubi agnoscendus sit *conjunctivus*, ubi contra *optativus* originalis; uterque enim in sententiis condicionalibus locum obtinet. Primum autem, quod ad formam, formae in—so et—sim similes sunt inter se in lingua latina, quam nos quidem novimus (excepta 1ª pers. sing); deinde saepissime interpretatione subjectiva discernendum est, qualem aliquam formam existimemus, idque eo magis quod formae in—so post *si* semper quandum servant vim hypotheticam. Praeterea ex contextu eliciendum est, unde conjunctivus

1) Mirari possumus quid sibi velit illud *axim*, conjunctivus juxta indicativos *ago*, *egi*, conjunctivus scilicet ex opinione grammaticorum Romanorum. Quod habet *Nonius*. 505. 16. s. v. axim: „*axim, egerim*" ineptum est; juxta *egi* „egerim" nihil significare potest et interpretatio modo orta est ex Romanorum opinione formas in—sim eadem esse notione, qua formae in—rim. Quod falsum esse jam hinc apparet.

ortus sit, an fortasse in oratione indirecta sit pro indicativo orationis directae. Paucissima autem exempla accurate dijudicari possunt; quod tamen ad summam rei nullius est momenti; quae enim quis exempla hic recensenda non putarit, recenseat sub B hujus capitis.

Delbrück. *Synt. Forsch.* I contendit in sententiis condicionalibus *conjunctivum indicare id, quod pro jam certo praesumitur* („voraussetzung"), *optativum* contra *hypothesin* („annahme").

Significatione illa conjunctivi in condicionibus explicare possumus usum *indicativi* post *si* in lingua latina, quippe qui indicet non dubitari, quin condicio rata sit; idem ergo quod dicit Delbrück „voraussetzung".

Neque vero *conjunctivus* post *si* caret explicatione; is enim ex iis, quae dicimus, existimandus est *optativus hypotheticus*.

Componantur deinde exempla, quae quanquam plerique auctores credunt conjunctivos, re vera continent optativum originalem.

Amph. 69. ed. Ritschl.

Nam *si* qui palmam *ambissit* histrionibus,..... *Sive* ipse *ambissit*, seu per internuntium..... (locus corruptissimus).

Asin. 603.

ne iste hercle ab illa non pedem discedat, *si licessit.*

ibid. 612.

quid me facturum putas, *si* istuc quod dicis *faxis?*

ibid. 770.

si quem alium *aspexit*, caeca continuo siet. (oratio indi-

recta, quod video. Versus enim e. g. 771—773: „*tecum* una postea aeque pocla potitet, abs *ted* accipiat, *tibi* propinet, *tu* bibas, ne illa minus aut plus quam *tu* sapiat," inepti essent, si parasitus orationem directam praelegeret adulescenti Diabolo.)

ibid. 794. fors *si* tussire *occepsit*, ne sic tussiat .... (oratio indirecta eadem ratione).

Aulul. 228.

nunc *si* filiam *locassim* meam tibi, in mentem venit, Te bovem esse et me esse asellum.

Capt. 712.

nam cogitato, *si* quis hoc gnato Tuo tuos servos *faxit*, qualem haberes gratiam?

Hisce duobus locis certo *hypotheticus* agnoscendus est.

Curc. 380. qui homo mature quaesivit pecuniam, *Nisi* eam mature *parsit*, mature esurit.

Men. 416. ne feceris! Periisti, *si intrassis* intra limen.

Mil. 1417. quid, *si* id non *faxis?*

Poen. 27. ne et hic varientur virgis et loris domi *Si* minus *curassint*, quom eri reveniant domi.

ibid. 428. egone, *si* istuc lepide *effexis* ..... ut ego non te hodie .... emittam manu?

ibid. 1208. id ego, *nisi* quid dei aut parentes *faxint*, qui sperem hauscio.

Pseud. 533. sed *si* non *faxis.*

ibid. 939[b]. sed ego quae tibi bona dabo et faciam, *si* sobrie hanc rem *accurassis.*

ibid. 1022. ne in re secunda nunc mihi obvortat cornua, *Si* occasionem *capsit.*

Rud. 304. *nisi* quid concharum *capsimus.*

ibid. 1345. *si defraudassis*, dic ut te in quaestu tuo... (or. indirecta).

Truc. 60. quos quom celamus, *si faxīmus* conscios...

Unicum hoc est exemplum, quod certo praebet ī, vocalem optativo propriam.

Stich. 192. ex Lübberti conjectura: ii hercle verbo lumbos defractos velim <Nam ego cum quovis nunc pignus in cenam duim> Ni perierit *nive* iste *cenassit* domi.

Ennius. Phoenix. frg. III, p. 126. ed. Müller, plus miser sim, *si* scelestum *faxim.*

Fr. Cramer *de perf. conj. usu pot.* p. 12. hic recensendum opinatur etiam locum ex legibus XII tabb: *si* nox furtum *factum sit, si* im *occisit*, jure caesus esto.

Jure, quod *factum sit* conjunctivus sit, etiam *occisit* conjunctivum dicit; attamen in quinta editione *Fontium* Bruns habet p. 31 *faxit*, quod quid sit non statim discerni potest. Fortasse multae formae sigmaticae in legibus, cum apud scriptores, tum in inscriptionibus servatae, tum a Cicerone fictae, ducendae sunt optativi hypothetici. Quod, mea quidem opinione, veri simillimum est in sententiis relativis quales sunt:

qui malum carmen *incantassit*, *qui* fruges *excantassit;*

Cic. de legg. 2.19. qui secus *faxit;*

ibid. 2.22. sacrum sacrove commendatum *qui clepsit rapsitve*, parricida esto.

Attamen discrimen inter meram fictionem, hypothesin („annahme”) et id quod jam pro certo praesumitur („voraussetznng”) saepissime tam subtile et ambiguum est, et originalis praeterea *conjunctivi* in condicionibus notio tantopere quadrat cum legis praescripti natura, ut, qui originitus fuerunt optativi, abierint in conjunctivos, i. e. in coniunctivos originales, qui tamen Romanis fuerunt indicativi; quod apparet etiam ex posteriore fut. exacti usu.

II. Conjunctivus originalis.

§ 7. Nullas invenimus *sententias primarias positivas*, quibus conjunctivus originalis vindicandus est, conjunctivus scilicet, qui etiam in grammatica latina tralaticia conjunctivus habetur.[1])

Sunt tamen quaedam sententiae secundariae, de quibus fortasse melius hic agemus, quod propius accedunt ad enuntiata primaria quam ceterae sententiae secundariae: constructionem dico, qua *cave* conjungitur cum *conjunctivo* nulla particula addita: *cave dixis* autem plane idem est, quod *cave ne dixis*.

Loquentium sensibus [1]) *dixis* pendebat a *cave*; sed miramur statim qui fieri possit, ut absit particula solita *ne*, qua indicetur aliquid pendere a *cavere*.

---

[1]) Tantummodo sc. quod ad formas sigmaticas.

[2]) Dico id quod belgice dicimus: „voor het taalgevoel.”

Minime enim licet, quod saepius contendunt, interdum in sermone familiari *ne* omitti post *cavere.*

Familiaris enim etiam ille sermo nititur legibus syntaxeos historicae, non minus quam sermo urbanus et elegans. Non igitur obscura quàdam et inexplicabili linguae licentia explicare licet omissio illa *τοῦ ne* post *cavere.*

Qua ratione autem *cave dixis* par existimatur *τῷ cave ne dixis?* Conjunctivus, qui est in *cave dixis* originitus est conj. *adhortativus;* quare interpretandum est: zeg het, [maar] pas op: pas op, als gij het zegt.

Proprius verborum ordo erat: d i x i s, c a v e! Eodem sensu tamen, sed alia constructione originali, usurpabatur *cave ne dixis;* quibus locutionibus inter se comparatis loquentibus oriebatur quasi licentia particulae *ne* arbitrio suo omittendae vel addendae, in sermone familiari („dans le tour familier" R i e m a n n *Synt. lat.* § 191.)

Eadem ratione explicandae videntur constructiones quales sunt *volo* (*nolo*, *malo*) *hoc facias; licet* (*oportet*, *necesse est*) *hoc facias; sine hoc faciam; fac sciam*, talia.

Sequitur exemplorum enumeratio, quae, quamvis in grammatica latina non sint sententiae primariae, hic tamen suum locum obtinent.

Asin. 256. *cave* tu idem *faxis*, alii quod servi solent.

ibid. 625. verbum *cave* faxis, verbero.

Mil. 1125. istuc *cave faxis.*

ibid. 1245. nisi perdere vis istam gloriam quam habes, *cave* sis *faxis.*

ibid. 1372 si honeste censeam te facere posse, suadeam; Verum non potest: *cave faxis.*

Most. 808. *cave* tu ullam flocci *faxis* mulierem.

Truc. 943. *cave faxis.* (locus corruptus).

Aulul. 608. tu modo *cave* quoiquam *indicassis* aurum meum esse istic, Fides.

Asin. 467. verbo *cave supplicassis.*

Bacch. 910. ted opsecro, *Cave parsis* in eum dicere.

ibid. 1188. quod di dant boni, *cave* culpa tua *amissis*

Cas. 404. *cave objexis* manum.

Merc. 484. non taces? *cave* tu istuc *deixis.*

Most. 523. *cave respexis*, fuge, operi caput.

Vidul. 83. *cave* tu istuc *dixis.*

ibid. 91. quam ad redditurum te mihi dicis diem, *Cave demutassis.*

Andria. 753. verbum si mihi Unum praeterquam quod te rogo .... *faxis cave.*

ibid. 760. *cave* quoquam ex istoc *excessis* loco.

Heaut. 187. *cave faxis*, non opus est, pater.

Naevius Corollaria. 46. ed. Ribbeck ....st, tace, *cave* verbum *faxis.*

§ 8. *Conj. originalis in sententiis primariis negativis* (neg. *ne* vel *particula negans*; quater apud Plautum *neque* [1]).

Asin. 839. *ne dixis* istuc.

Aulul. 744. *ne* istuc *dixis.*

---

[1]) cf. Kühner. Ausf. Gramm. d. lat. Spr. II. Abth. I. § 48: 3. 4.

Capt. 149. *nunquam* istuc *dixis* neque animum *induxis* tuom.

Mil. 283. mihi *ne dixis:* scire nolo.

ibid. 1007. hanc *nil* tu *amassis;* mihi haec desponsast.

Most. 526. *nil* me *curassis*, inquam; ego mihi providero.

ibid. 1097. *ne occupassis*, obsecro, aram [1]).

ibid. 1115. *ne faxis.*

Poen. 553. nos tu *ne curassis;* scimus rem omnem.

Pseud. 79. eheu? id quidem *ne parsis:* dabo.

ibid. 232. *nil curassis:* liquido's animo.

Rud. 1028. *neque* tu me quoiquam *indicassis.*

Stich. 149. neque ego te celabo, neque tu me *celassis* quod scias.

Trin. 627. sta ilico: [2]) noli avorsari neque te *occultassis* mihi.

Truc. 606. istuc *ne* mihi *responsis.*

Phormio. 742. *ne* me istoc posthac nomine *appellassis.*

Ennius. Epigr. 67. ed. Müller. p. 85.

nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
faxit. cur? volito vivo' per ora virum.

Varro apud Non. p. 176 et 180; in Bücheleri editione *Petronii* (Weidmann. 1882) p. 193. vers. 304. sed, o Petrulle, *ne* meum *taxis* libellum.

---

1) *Non* recensendus est hic versus p. 36.

2) Lucide hic apparet notio originalis: ilico = in loco.

Cic. de legg. 2 § 19 separatim *nemo habessit* deos novos neve advenas. [1])

§ 9. *Conj. originalis in sententiis secundariis.*

Ut.

Truc. 348. ita ego illam (sc. pecuniam) edepol servem itaque parce victitem, *Ut*..... nulla *faxim* cis dies paucos siet.

metuere, vereri ne.

Men. 861. *metuo ne* quid male *faxit* mihi.

Persa. 478. nec *metuo* ... *ne*quis mihi in jure *abjurassit.*

Heaut. 179. nil magis *Vereor* quam *ne* quid in illum iratus plus *faxit* pater.

Cavere ne, cautio mihi est ne.

Aulul. 585. *cave* sis tibi, *Ne* tu *inmutassis* nomen, si hoc concreduo.

Bacch. 598. mihi *cautiost Ne* nucifrangibula *excussit* ex malis meis.

Poen. 446. nunc mihi *cautiost Ne* meamet culpa meo amori *objexim* moram.

Mil. 333. hic *obsistam ne* imprudenti huc ea se *subrepsit* mihi.

In omnibus hisce sub §§ 7. 8. 9. enumeratis exemplis equidem opinor conjunctivum esse *conjunctivum originalem*, non dico quod ad formam, sed quod ad syntaxin pertinet. Attamen non injuria contendat aliquis in hisce exemplis

---

[1]) Ciceronem: de Legg. laudo, quod leges suas finxit ad exemplar legum antiquarum.

etiam *formam* conjunctivi originalis esse servatam. Si enim nostrae formae in—*so*—*sim* revera sunt conjunctivi et optativi aoristi sigmatici, nihil obstat quominus omnes formas, quae finguntur *ĭ brevi*, quae vero in sermone latino adhuc sunt conjunctivi, existimemus conjunctivos thematicos aor. sigmatici athematici.

Obiter animadvertendum formam 1ae pers. sing. in—*sim* (Poen. 446. *objexim;* Truc. 348. *faxim*) excipiendam esse.

Illi conjunctivi in unum confluentes cum optativis originalibus, non parum valuerunt ad formas conjunctivi et optativi confundendas, adeo ut in optativo (conj. lat. linguae) *ĭ breve* scribi soleat et in conjunctivo (indic. lat. ling.) non nunquam *ī longum* usurpetur, adeoque ut 3a p. plur. conjunctivi (3a p. pl. fut. exacti lat. ling.) acceperit suffixum optativi—*int.*

Quod autem ad significationem formarum conjunctivi et optativi, quae Romanis erant conjunctivi, non difficile videtur certa in sententia consistere.

Paucis enim locis exceptis, de quibus mox acturi sumus, quis est, quin belgice, ut eos vertat, utatur forma praesentis, etiam si recte et accurate reddere vult et interpretari formarum vim propriam?

Nemo, qui accuratius consideret *formam etymologicam*, qua „di te servassint" et „di te servent" paria existimari non possint, veri similem habebit interpretationem significationis formae *servassint* ex notione perfecti logici, nisi forte utatur ambagibus *fortioris* illius *rationis dicendi* („energie des ausdrucks") aut *perfecti historici.*

Quocunque modo res se habet, constat *pleraque* exempla, quae enumeravi in hisce §§, in versione belgica praesent modo tempore reddi posse. Id pluribus demonstrare opus non est; nemo enim, etiamsi perneget etymologiam ex aoristi formis ductam, hunc usum solitum esse negaverit.

Attamen jure, quod videtur, Corssen *Ausspr.* II². p. 566 not. quaedam affert exempla, in quibus conj. perfecti syncopatus indicet actionem perfectam in praesenti, („die vollendung in der gegenwart") aut in futuro, si est indic. fut. exacti. Affert autem locos quales sunt:

Asin. 613. mihi certumst efficere omnia in me eadem, *quae* tu in te *faxis*.

Mil. 624. si te quicquam, *quod faxis*, pudet ....

Liv. 3.64. tum, ut *quos* sibi collegas *cooptassint*, illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint.

Asin. 612. quid me facturum putas, *si* istuc quod dicis *faxis?*

ibid. 770. *si* quem alium *aspexit*.

ibid. 794. fors *si* tussire *occepsit*.

Mil. 1417. quid *si* id non *faxis*.

Haec exempla omnia pertinent ad optativum potentialem, semper tam dubium in sententiis relativis et condicionalibus. cf. §§ 5. 6. Dixerit aliquis has formas, si accuratius reddere velis vim syntacticam, belgice vertendas esse: „*zal gedaan hebben.*"

Illud equidem non nego. Ea tamen de causa haec exempla, quibus plerique vindicant conjunctivum latinum, ma-

lim recenseri sub B, quo contuli omnia exempla, quae praebent *indicativum* latinum, quaeque omnia admittunt versionem: *zal gedaan hebben;*" de qua significatione mox plura videbimus.

Attamen, his paucissimis exceptis, constat nulla, quae emuneravi exempla, admittere notionem perfectivam.

B. *Formae quas gramm. latina existimat indicativos.*

Conjunctivus originalis.

§ 10. Jam Capite I. memoravi me sequi opinionem Brugmanni, aliorum, formas in—*so* esse conjunctivos originales aoristi, quas antiquiorum auctorum plerique existimabant formas futuri exacti syncopatas.

Lübbert, *l. l.* p. 81. de discrimine syntactico formarum in—*ero* et—*so* sic scribit: „[die volleren formen] enthalten gewöhnlich eine *reine zeitangabe*, indem sie die vollendung der bezeichneten handlung mit bezugname auf eine andere handlung als den ausgangspunkt, von dem ab diese andere beginnt, bestimmen. z. b. *Capt.* 434. *Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu apscesseris.*" Actio itaque perfecta in futuro („*vollendung in der zukunft.*") i. e. actio aliqua in tempore futuro perfecta fingitur, quae simul ac perfecta est, altera incipit actio.

„Die synkopierten formen haben die rein temporale bedeutung nur in der 1 pers. sing. (capso, amasso), in allen übrigen personen dagegen bezeichnen sie noch *ein bedingt bevorstehendes sein;* sie enthalten noch nicht eine directe zeitangabe in futuro, sondern drücken das bevorstehende

sein *gleichsam mit einem anflug, einer leisen färbung von hypothetischen character aus.*" Indicant igitur, non ut formae in—*ro* actionem perfectam in futuro *antequam* altera actio incipere possit, sed *modo* actionem *perfectam* in futuro, nulla ratione habita temporis quo incipiat altera actio. [1])

Riemann. *synt. lat.* p. 203. scripsit: „*scripsero* marque qu'à un moment donné on *aura fini* de faire l'action" et p. 206. „le futur antérieur *pourra* marquer simplement une action *passée par rapport à une proposition principale au futur* ..... *scripsero* [peut être considéré ici] comme un *aoriste* transporté dans *l'avenir.* [Le grec emploie] en pareil cas le *subj. aoristi* avec *ἄν.*"

Bene rem tetigit Lübbert: formae in—so habent quandam *notionem hypotheticam*, quare obtinent tantum in sententiis *secundariis*, praesertim *condicionalibus;* rarius post *ubi, ast* et *relativa.* cf. Lübbert *l. l.* p. 84. Utriusque formae usum perspicimus in loco *Capt.* 659: pol *si* istuc *faxis,* haud sine poena *feceris.*

Paucis hic agendum videtur de futuro exacto antequam aggrediar ad exemplorum in—*so* enumerationem. *Futurum exactum originitus carebat notione actionis perfectae.* Haec opinio nititur hypothesi, formas quales *amavero*, *habuero*, *legero*, *fecero*, *totondero*, *finivero* non esse formas originales,

---

[1]) Indicant igitur formae in—*so* non „*eine reine zeit-angabe*" actionis perfectae *ante* alteram, sed tantum quod L. dicit „*seinstufe*": sc. actionem *perfectam* esse in futuro.

sed per analogiam factas, et quidem ad analogiam formae *videro* et siquam aliam formam originalem credere possimus. *Videro* enim est *conjunctivus—e (ə. i.) s—aoristi.*

*u̯ ei̯ d—e (ə, i) s—> Skt. ávedisham,

ᾗδε[σ]α, εἰδέ[σ]ω, εἰδε[σ]ίην.

videro, viderim.

cf. Brugmann. *M. U.* III; *Grdr.* II. p. 1200.

Post indicativos perfecti et aoristi confusos forma illa conjunctivi aoristi transferebatur ad formas tantum perfectivas quales *feci*, *legi*, *amavi*, unde in formis *fecero*, *legero*, *amavero* nascebatur notio actionis perfectae; ex conjunctivi natura oriebatur notio futuri; ex orationis contextu apparebat actionem incipere altera perfecta. Inde paulatim natus est futuri exacti usus ille notissimus et notio.

Quae cum animadvertimus, jam hic paucis explicari potest qua ratione ét formae sigmaticae in—*so* ét formae in—*ro*, quae fuerint aoristi, abierint in perfecta.

In sententiis secundariis, quibus continetur notio notionem primariae antecedens,[1]) conjunctivus originitus est *hortativus;* conjunctione indicatur vinculum inter sententiam secundariam et primariam, quo vinculo ex conjunctivo hortativo fit conjunctivus *ejus quod pro certo praesumitur* („voraussetzung"), qui est indicativus in lingua latina. Exemplum autem quale *Aulul.* 57. „*si excesseris aut respexis ..... ego te dedam discipulam cruci*", si quidem recte interpretamur, proprie

---

[1]) Priorische bijzinnen.

vertendum est: „*ga weg en zie om*, dan zal ik" cet.; deinde „*verondersteld gij gaat weg, en ziet om*, dan cet. „*indien gij weggaat* en *omziet*, dan cet.

Attamen in sententiarum ordine et progressione tria nova cogitata subnascuntur:

a. actio, quae est in condicione, ante alteram fit;

b. partim perfecta sit necesse est, antequam altera incipiat.

c. actio, quae jam pró certa praesumitur, nondum perfecta est, pendetque ex aliena voluntate; itaque futura est.

Ex hisce tribus, conjuncta notione *τοῦ si*, nascitur sententia: „*indien gij weggegaan zult zijn*, en *omgezien zult hebben*", dan zal ik cet.; eoque facilius, cum etiam a formis proprie perfectivis fingantur formae in—*so*, quibus quasi natura ipsa inhaeret notio perfectiva.

Fusius et accuratius de hac re agemus capite V; haec tamen sufficiant ad indicandam rationem, qua exempla, quae sequentur, explicata volo.

Nihil attinet, Lübberto auctore, segregare 1^am^ pers. sing. in—*so* a ceteris formis, quas vocat formas per iota fictas („iota—personen"), quia 1^a^ pers. sing. paulo modo longius abscessit a notione originali. Quare promiscue exempla enumerabo, excepta tantum forma *faxo*, in sententia primaria.

Amph. 454. nam *si* me *inritassis*, hodie lumbifragiun hinc auferes.

ibid. 673. ni ego illi puteo, *si occepso*, animam omnem intertraxero.

Aul. 57. si excesseris aut *si respexis* ..... ego te dedam discipulam cruci.

Bacch. 712. *si* id *capso*, geritote amicis vostris aurum corbibus.

ibid. 848. nam neque Bellona mi unquam neque Mars creduat *Ni* illum exanimalem *faxo*.

Capt. 124. nam *si faxis*, te in caveam dabo.

ibid. 575. servos es, liber fuisti: et ego me confido fore, *Si* hujus huc *reconciliasso* in libertatem filium.

ibid. 695. *si* istuc *faxis*, haud sine poena feceris.

Cas. 307. *si* sors autem *decolassit*, gladium faciam culcitam.

ibid. 708. *si effexis* hoc, soleas tibi dabo.

ibid. 825. malo maxumo suo hercle ilico, *ubi* tantillum *peccassit* ....

ibid. 1001. *si* unquam posthac aut *amasso* Casinam aut *occepso* modo, ... si ego unquam adeo posthac tale admisero, Nulla causast, quin cet.

ibid. 1019. *qui faxit*, clam uxorem ducet semper scortum.

Epid. 122. quem ..... pistori ..... dabo, *Nisi* hodie prius *comparassit* mihi quadraginta minas, Quam .....

ibid. 363. uno persuadebit modo, *si* illam ..... Mihi *adempsit* Orcus.

ibid 441. *si* tibi *commonstrasso* (quem quaeritas) ecquam abs te inibo gratiam?

ibid. 728. nunquam hodie *nisi* me *orasseis*, solves.

Men. 113. *si* mihi tale post hunc diem *Faxis*, faxo .....

Mil. 163. disperistis, *ni* usque ad mortem male *mulcassitis*.

Most. 212. perii, *ni* ego illam pessumis exemplis *enicasso.*

ibid. 223. divi me faciant quod volunt, *ni* ob istam orationem Te *liberasso* de meo et *ni* Scapham *enicasso.*

ibid. 228. ego *si* bonam famam mihi *servasso*, sat ero dives.

Persa. 393. *si* hoc *adcurassis* lepide, ... dabuntur tibi ....

ibid. 828. *si* me *inritassis*, Persam adducam denuo.

Poen 288. nunquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior *Nisi* ero meo uni *indicasso.*

Rud. 678[b]. *si respexis*, scies.

ibid. 731. vos adeo, ubi ego innuero vobis, *ni* ei caput *exoculassitis* .... virgis circumvinciam.

ibid. 775. maxumo malo suo, Si attigerit *sive occeptassit.*

ibid. 811. *nei* istunc istis *invitassitis* .... periistis ambo.

ibid. 1118. *si* praeterhac Unum verbum *faxis*, ego tibi comminuam caput.

ibid. 1150. *si* hercle tantillum *peccassis*, ... nugas egeris.

ibid. 1348. Illaec advorsum *si* quid *peccasso*, Venus, Veneror te, ut omnes miseri lenones sient.

Stich. 345. praeterhac *si* me *inritassis*,.... edepol esuries male.

ibid. 610. *si* hercle *faxis*, non opinor dices deceptum fore.

ibid. 725. *uter demutassit*, poculo multabitur.

ibid. 727. *si peccassis*, multam hic retinebo ilico.

Fretum. G. & S. vol. VII p. 143. peribo si non fecero; *si faxo* vapulabo.

Terentii ejusmodi exempla nulla laudata invenio.

Pacuv. 325. ed. Ribbeck. haud sinam quidquam profari, *priusquam accepso*, quod peto.

Attius. 293. ed. Ribbeck. qui, *nisi* genitorem *ulso*, nullum meis dat finem miseriis. (codd: ullo; Nonius 185. ullo pro ultus fuero. Vossius: ulso).

ibid. 453. .. nunc *si* me matrem mansues misericordia *capsit.*

Laberius. 145. ed. Ribbeck. lavite item hillam! cocus *si* lumbum *adussit,* caedetur flagris.

Ennius. Ann. 386. ed. Müller.

o Tite, *si* quid ego adjuro curamve *levasso* . . . ecquid erit praemi?

E *legibus regiis:*

Fest. p. 6. *si* quisquam aliuta *faxit,* ipsos Iovi sacer esto.

ibid. p. 178. si hominem fulmen *occisit,* ne supra genua tollito.

ibid. p. 230. si parentem puer verberit, *ast* olle *plorassit,* puer divis parentum sacer esto.

Lex Silia de ponderibus. Fest. p. 246. *si* quis magistratus adversus hoc *faxit, jussitve* fieri . . . .

Leges XII tabb. (Bruns. *Fontes.* ed. 5.)

pag. 22. *uti legassit* super pecunia, ita jus esto.

„ 24. *uti* lingua *nuncupassit,* ita jus esto. (i. e. uti nominaverit locutusve erit. *Festus.*)

„ 27. viam muniunto; *ni* sam *delapidassint,* qua volet jumento agito.

„ 28. *qui* malum carmen *incantassit.* (Fest. p. 181. *occentassint* antiqui dicebant quod nunc „convicium fecerint" dicimus.)

„ 29. *si* membrum *rupsit,* talio esto.

„ 29. *si* injuriam *faxit.*

pag. 30. *qui* fruges *excantassit.*

„ 31. *si* nox furtum *faxit, si* im *occisit*, jure caesus esto.

„ 38. *si* servus furtum *faxit*, noxiamve *noxit.*

Lex agraria. a. 111 aCn.

§ 25. *sei* quis *faxsit*, quotiens *faxit*, in agri jugra singula L[HS. n. dar]e debeto.

§ 84. [*neive* quis quid *fax*]*sit* cet.

Lex luci Lucerini (Bruns p. 260.)

Sei quis arvorsu hac *faxit*, [in] ium quis volet pro ioudicatod n. I manum injectio estod.

Lex Luci Spoletini. (Bruns p. 260.)

Sei quis *violasit*, Iove bovid piaclom datod; *sei* quis scies *violasit* . . . .

Macrob. 3.9.11. haec *si* ita *faxitis* . . . . tunc *quisquis* hoc votum *faxit, ubi faxit* recte factum esto ovibus atris tribus.

Liv. 1.24. *Si* prior *defexit* publico consilio dolo malo cet.

ibid. 23.11, *si* ita *faxitis*, Romani, vestrae res meliores erunt.

ibid. 25.12. hoc *si* recte *faxitis*, gaudebitis semper.

Cicero de legibus.

2 § 19. *qui* secus *faxit*, deus ipse vindex erit.

§ 21. *si* senatus *jussit*, deferunto.

§ 22. sacrum *qui clepsit rapsitve*, parricida esto.

3. § 6. *ni* par majorve potestas populusve *prohibessit.*

§ 6. *quoi* [1]) magistratus *judicassit inrogassitve* per populum multae poenae certatio esto.

---

[1]) Codd. *cum.*

§ 6. *quod* is, qui bellum geret, *imperassit*, jus ratumque esto.

§ 9. plebes *quos* pro se .... auxilii ergo decem *creassit*, ei tribuni ejus sunto, *quod*que ei *prohibessint* *quod*que plebem *rogassint*, ratum esto.

§ 10. *ast* potestas par majorve *prohibessit*, ...

§ 10. tribunis, *quos* sibi plebes *creassit* ....

§ 11. de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque, *quos* censores in partibus populi *locassint*, ne ferunto.

§ 11. *quod* quis earum rerum *migrassit*, noxiae poena par esto.

Haec exempla cum perscrutamur, statim animadvertimus apud Plautum formas ét per—s—ét per—r—fictas eadem notione in una et eadem inveniri sententia; omnibus locis pro formis sigmaticis formas in—so cet. legi posse, quod ad sensum; in legibus formas sigmaticas eundum obtinere locum, quem formas per—r—fictas in monumentis posterioribus.

Concedendum tamen est, quod recte monuit Lübbertus, *omnes* formas in—so cet. (excepto tantum *faxo*) legi in sententiis secundariis, praecipue condicionalibus.

Nil est quod miremur, posteriores, qui hanc rem tractaverint, hisce rebus adductos esse, ut formas sigmaticas perfecto ascriberent et ex forma quadam perfectiva derivarent, praesertim cum grammatici Latini formas in—so et—sim interpretentur per conjunctivum perfecti et futurum exactum solitos.

Postquam autem viri docti recentiores linguae latinae

vindicarunt *aoristum sigmaticum*, cujus reliquiae exstant in formis nostris sigmaticis et in prototypo conjunctivi perfecti et futuri exacti, mutata est ratio significationis utriusque formae explicandae (cf. Cap. V.); quam rationem jam supra p. 52.53 adumbravi.

Consulto excepimus formam *faxo* in sententia primaria, cujus apud Plautum inveni 64 exempla, apud Terentium 4. cf. Lübbert. *l. l.* p. 101. Omnibus illis locis *faxo* habet notionem *futuri primi*, qua re adductus, Madvigius [1]) formas in—so existimavit *futura originalia*, formasque in—sim eorum *conjunctivos*. [2])

---

1) **Madvig. de formarum quarundam cet.**

2) **Cf. hujus libri Cap. I. § 2.**

CAPUT IV.

De aoristo, conjunctivo, optativo.

§ 1. Obiter tantum et ne quid praetermittamus animadvertendum est, in quavis forma verbali aestimanda et explicanda, *tres* praecipue res esse discernendas. Quod longa disputatione multisque argumentis allatis non opus est defendere, quia nemo est, qui hac de re dubitare possit.

a. *qualitas, genus,* ut ita dicam, *actionis*, („aktionsart") qua ante oculos nobis proponitur actio aut progrediens, aut ad finem progressa, perfecta, aut mera actio, nulla progressionis ratione habita.

Illae notiones inhaerent *radici temporis*, quam dicimus, formae verbalis („tempusstam"). Non recte dividimus radices praesentis, futuri, aoristi, perfecti; rectius discernemus radicem actionis *imperfectae*, actionis *perfectae*, et, ut utar nomine solito, actionis *aoristicae*. Radix *futuri* proprie non est quam diximus radicem temporis; nihil enim indicat futurum de qualitate, de genere actionis, significat tantum actionem fore aliquo tempore futuro. Non ab omni enim radice verbali actiones ét progrediens ét perfecta ét aoristica simul fingi possunt, quia aliae tantum habent notionem actionis progredientis, aliae perfectae, aliae aoristicae. (Unde expli-

catur quare e. g. praesens ὁράω habeat aoristum εἶδον.) Omne tamen genus actionis tempore futuro cogitari potest.

b. *tempus quo fiat actio ex mente ejus qui loquitur*, („zeitstufe"), sive praesens, sive praeteritum, sive futurum, quod indicatur particulis additiciis, neque inhaeret radicibus temporum, de quibus diximus sub a. Ubi tempus alicujus actionis non jungitur cum tempore quo quis loquitur, sed cum tempore alterius actionis, ea dicitur relativa temporis indicatio („relatieve tijdsbepaling").

c. *status et conditio mentis* [1]) *ejus qui loquitur, ratio sc. qua percipit enuntiatum aliquod;* aut enim immediate et tamquam res realis aliquid percipitur, aut mediate et non tamquam res realis cogitatur, ubi res *optatur*, *in voluntate est*, *vel jubetur;* haec discrimina indicantur *modis*.

§ 2. Ut autem recte intellegamus quid originitus significent *conjunctivus* et *optativus aoristi*, primum investiganda est radicis aoristi *notio primitiva*. Quae notio medium quasi locum teneat necesse est inter notiones actionis progredientis et perfectae. Valde arrideat notio actionis *ingredientis* („eintretende handlung"), qua accepta pulcherrima oriatur series: 1. actio ingrediens, 2. a. progrediens, 3. a. perfecta. Neque id aoristi usu vulgari non nititur. Nihilo minus haec recta aoristi definitio non est, quippe qua non omnes aoristi functiones explicentur.

Delbrück. *S. F.* IV. p. 102. scripsit: „der aorist be-

---

[1]) ψυχικὴν διάθεσιν quam dixit Brugmann. *Handb.* II. § 164.

zeichnet die *effectuierung* der handlung," qua formula satis vaga et ambigua tamen naturam aoristi parum intellegimus. In lingua, quam novimus, aoristus praecipue usurpatur ad actionem indicandam *per se et in se ipsa absolutam* [1]), nulla progressionis ratione habita: factum quoddam memoratur, quod indicativo tantum, neque alio aoristi modo, transfertur in tempus praeteritum.

Juxta hanc notionem exstat *ingressivus*, quem dixit Curtius, aoristus, qui significat *initium* actionis, oppositum actionis *progressioni*, quae deinde sequitur; necnon aoristus *effectivus*, quo indicatur *initium* actionis, oppositum *praeparationi*, quae antecedit:

δακρῦσαι = in tranen uitbarsten. (ingressive); πεσεῖν = na het vallen, πίπτειν, op den grond terecht komen. (effective);

βαλεῖν βέλος (ingressive) et βαλεῖν ἄνδρα (effective).

cf. Delbrück. *l. l.* p. 101. Brugmann. *Handb.* II. p. 184.

Uterque quaerit, qui variae aoristi functiones explicandae sint, utrum ex una notione primitiva, an, quod verius fortasse, ex variis aoristi diversarum formarum functionibus, ita ut e. g. aoristus sigmaticus significarit actionem ingressivam, aoristus thematicus actionem effectivam [2]).

Quam rem dijudicare difficillimum est; nisi forsitan quis recte formula comprehendere possit notionem primitivam radicum verbalium, quae fingunt aoristum et deinde discernat

---

[1]) Op zich zelf staande en in zich zelf afgesloten handeling.

[2]) Minime dictum volo ita se rem habere. Hisce aoristis tantum pro *exemplo* utor.

exstetne quaedam relatio inter diversa notionum primitivarum genera et diversas aoristi formas. Qua in re praeterea sedulo segregandi sunt aoristi, si qui nati sunt ex analogia, sive propter formae, sive propter significationis similitudine aliorum verborum, sive ut alicujus radicis, cui originitus non erat aoristus, procedenti lingua praeter actionem imperfectam et perfectam distinguerent actionem quandam aoristicam.

Interim quaerenda est communis quaedam notio, quae omnes aoristi functiones comprehendat, et quam existimemus *notionem principalem historicam;* progrediente enim lingua *omnes* aoristi in unum corpus coaluerunt syntacticum.

Quare nobis opus est formula, quae non artioribus finibus comprehenditur. Itaque optime fortasse dicemus aoristum significare actionem absolutam, i. e. actionem *quodam momento per se et in se ipsa absolutam*, omissa omni progressionis vel peractionis notione. Id quadrat cum principali, quem supra memoravimus, aoristi usu, cumque usu ingressivo et effectivo, quia actio absoluta esse potest initium aut finis actionis imperfectae. cf. R. Kohlmann. *Über das verhältniss der tempora des lat. verb. zu denen des griech* Haec aoristi notio in indicativo *augmento* transfertur in tempus praeteritum; *radici* aoristi nulla praeteriti inhaeret notio.

§ 3. Restat ut definiamus significationem *conjunctivi* et *optativi* originalem, quae non mutatur genere actionis („aktionsart").

Duobus modis originitus fingitur conjunctivus; indicati-

vorum athematicorum per —ĕ—et—ŏ—; thematicorum per —ā—ē(—ō—). cf. Brugmann *Handb.* II. § 142; *Grdr.* II. p. 1279. Lindsay p. 511.

√ es. *es—ĕ—t(i). Skt. as—at(i). Av. aṅh—a^{i}ti, aṅh—at̰.[1] Lat. erit. cf. Ep. *βήσομεν, τείσετε.*

√ bher. *bher—ā(ē)—t(i). Skt. bhar—āt(i). Av. bar—ā^{i}ti, bar—āt̰. Gr. *φέρ—ωμεν, φέρ—ητε.* Lat. fer—āt, fer—ēt. O.I. berid< *ber—āti, bera< *ber—āt.

√ ĝen. Gr. *γίγν—ηται.* Lat. gign—āt, gign—ēt. M. I. gignid< *gi—gen—āti.

Jam Indogermanice, ut ita dicam, ab indicativis athematicis finguntur etiam conjunctici per—ā—ē—(ō).

√ ed. Skt. ad—ām. Gr. *ἔδ—ωμεν.* Lat. ed—āmus.

√ i Skr. ay—ās. Lat. eās.

Rogat Brugmann liceatne utrique formae unam eandemque ascribere notionem primitivam, praesertim cum forma per—ĕ—ŏ—ficta in lingua latina tantum habeat notionem futuri, necnon in lingua graeca *ἔδομαι, πιόμαι, χέω* eandem retinuerint significationem. Huic quaestioni non nisi dubitanter responderi potest; omnes enim conjunctivi functiones ab *una* primitiva, quominus derivemus, nihil obstat.

Notio autem primitiva conjunctivi videtur esse *voluntas ejus qui loquitur*, qui velit aliquam actionem a se aut ab altero fieri, *suaeque voluntatis jam pro certo praesumat effectum.*[2]

---

[1]) Utor transscriptione qua usus est Justi, quia recentius transscriptionis signum (Brugmann, Jackson) inter typos non praesto erat.

[2]) Begeerte met uitzicht op vervulling.

Cf. Delbrück. *S. F.* I; Brugmann. *Handb.* II. § 165. Multae ex hac primitiva notione et principali ortae sunt conjunctivi functiones secundariae.

a. *Notio proprie voluntativa.* (neg. ne).

Od. 6. 126. *ἀλλ᾽ ἄγ᾽, ἐγὼν αὐτὸς πειρήσομαι ἠδὲ Fίδωμαι.*

Cic. Verr. I. 9. 24. nunc, ne novo querimoniae genere uti possit Hortensius ..... morem illi *geram: utar* oratione perpetua ..... (ik wil hem ter wille zijn en gebruik maken). Videntur mihi formae *geram* et *utar* conjunctivi potius existimandae quam futura.

b. Conjunctivus voluntativus in 1ª pers. plur. fit *adhortativus.*

e. g. Cic. Sest. 68. 143 *amemus* patriam, *pareamus* senatui, *consulamus* bonis, praesentes fructus *neglegamus,* posteritatis gloriae *serviamus.*

Usus adhortativus 1ª pers. plur. non circumscriptus est, sed inde originem sumpsisse videtur. (cf. Skt. *bharāṇi,* 1ª pers. sing. imperativi, quod non nisi per usum adhortativum imperativo attribui potuit.)

Conjunctivum adhortativum fortiore sensu in 2ª et 3ª personis dicere possumus *jussivum.* cf. Cic. Off. 1. 31. 114 suum quisque *noscat* ingenium.

Negatione ne addita oritur conjunctivus in sententiis negativis, quibus inest notio *hortandi, vetandi, monendi, timendi: ne eamus, ne dixis,* cave *ne dixis,* [1]) timeo *ne veniat.* [1])

---

[1]) Obiter animadverto has sententias, quae in grammatica tralaticia sint secundariae, ortas esse ex sententiis primariis: *ne dixis! cave; ne veniat! timeo.*

c. Si quis dubitat de sua voluntate, vel si dubitat an possit voluntatem ad effectum dare, utitur conjunctivo *deliberativo* vel *dubitativo*. (neg. non). e. g. Cic. Archia. 8. 18. hunc ego non *diligam*, non *admirer*, non omni ratione defendendum *putem?*

d. Voluntas ejus qui loquitur, si non oritur ex libera ejus mente, sed ex alterius voluntate vel ex alia re extranea, e conjunctivo hortativo fit *concessivus*. e. g. Cic. Off. 3. 13. 54. *vendat* aedes vir bonus propter aliqua vitia, quae ipse norit, ceteri ignorent; pestilentes *sint* et *habeantur* salubres; *ignoretur* in omnibus cubiculis apparere serpentes; male materiatae *sint*, ruinosae, sed hoc praeter dominum nemo *sciat*. Horat. Ep. 1. 10. 24. naturam furca *expellas:* tamen usque recurret.

e. Quodsi quis quid sibi in voluntate esse significat, et constat fere, id effectum habiturum, conjunctivus abit fere in *futurum;* quem usum jam Indogermanicum existimare licet.

e. g. Il. I. 262. *οὐ γάρ πω τοίους ’Fίδον ἄνερας οὐδὲ Fίδωμαι*
οἷον Πειρίθοόν τε Δρύαντά τε cet.

In lingua latina tantopere frequentatus est hic conjunctivi usus, ut formae *legam—es*, *audiam—es*, *ero*, factae sint futura solita, locumque obtinuerint futuri originalis. Non difficile est intellectu, quomodo id fieri potuerit. Notio enim futuri in—*sio*— originalis, est *voluntativa*, ubi vero voluntas spectat id, quod creditur *certo aliquando futurum esse*, futurum significabit *consilium*, *timorem*, *spem* et

sensu minus forti *tempus* modo *futurum*. Vidimus autem conjunctivum indicare voluntatem spectantem id, quod *pro certo praesumatur*, futurum contra id, *quod certo constat aliquando fore*.

Proxime ergo inter se hae notiones accedunt; nisi quod qui conjunctivo loquitur minus certo scit, eventurum esse id, quod velit. Linguae modo Aricae et Balto-Slavicae certas habent reliquias futuri in—si̯o. Quod ad graecum δείξω, non constat sitne futurum originale, δεικ—σι̯ο—, an conjunctivus thematicus, δεικ—σο—, aoristi athematici, δεικ—σ—, an fortasse forma miscellanea ex utraque nata.

Lingua etiam Celtica per omnes futuri formas ostendit transitum conjunctivi in futurum.

Quae enim dicuntur linguae hibernicae *futurum reduplicatum* et *s. futurum*, nihil videntur nisi conjunctivi, cujus notionem etiam saepissime ostendunt.

1ª p. pl. for—cechnam <*—ce—cán—ā—m—
do—bēram <*—bé—br—ā—m—
for—tīasam <*—steic—s—ā—m—

Etiam *b.* (*f*) *futurum* existimare possimus conjunctivum, quamquam fortasse, quia est forma recentius ficta („neubildung") analogiam sequitur futuri reduplicati et sigmatici.

no charfam <*cara—(bhu̯?) —ā—m—

§ 4. Aeque ac conjunctivus etiam *optativus* natus est ex duobus formis originalibus.

Indicativi athematici optativus fingitur per —i̯ē—ii̯ē— (in sing.), —ī— ii̯— (in dual. et plural.)

√ es. *s—i̯ē—, *s—ii̯ē— Skt. s—yās, s—iyās. Av. h̦—yaə̄ = *s—i̯ē—s. Lat. siēs. Gr. ἐ[σ]ίης.

*s—ī— *s—ii̯— Skt. s—yur, s—iyur. Lat. sīmus, sient. Gr. εἶμεν <*εσ—ῑ—μεν.

Indicativorum thematicorum fingitur optativus per —oi̯— (—oi̯— = vocalis thematica addito —ĭ—?)

√ bher. *bher —oi̯—s. Skt. bharēs. Av. barōiš. Gr. φέροις. Got. baíráis.

In lingua latina nullae supersunt optativi formae per—oi̯— fictae. cf. Lindsay p. 513. s. f.

Notio primitiva optativi non magis quam conjunctivi derivari potest ab etymologia. Ex diversis functionibus, quantum potest accuratissime definitis, conjicienda est notio primitiva.

Delbrück. *S. F.* I. hanc contendit notionem primitivam esse *optationem, de qua possitne ad effectum dari necne nihil praesumitur.* Idem ab hac significatione principali derivat usum *potentialem,* qui aeque originitus optativo ascribendus videtur. Brugmann contra *Handb.* II. p. 191, rectius fortasse, dijudicare non vult, qua relatione historica inter se conjuncti sint usus optativus et usus potentialis, aeque originales; a. v. quae fuerit notio omnium primitiva, non liquet.

Optativus in sententiis negativis, eodem modo quo conjunctivus, duobus utitur negationibus; verus optativus sc. conjungitur cum ne (μή), potentialis contra cum non (οὐ).

a. Optativus *optativus*, ut ita dicam. („wenschende optativus"). e. g. Il. 18. 98. *αὐτίκα τεθναίην*. Plaut. passim: di te *servassint*. Optativus, in forma conjunctivi: Cic. Milo. 34. 93. *valeant* cives mei, *valeant*.

Conjungitur etiam particulis optativis *ut*, *utinam*, *si*.

b. Inde oritur optativus in *obsecrationibus et precibus*. e. g. Ennius Medea exul frg. 22. p. 118. ed. Müller: Juppiter..... prius quam fiat, *prohibesseis* scelus!

c. Si quis optat, non sua sponte, sed alterius optatione coactus vel certe commotus, optativus fit *concessivus*. [1]) e. g. Od. 8. 340. sq.

δεσμοὶ μὲν τρὶς τόσσοι ἀπείρονες ἀμφὶς ἔχοιεν,
ὑμεῖς δ'εἰσορόωτε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι,
αὐτὰρ ἐγὼν εὕδοιμι παρὰ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ.

Vere concessivus est *εἰσορόωτε*, vereque optativus *εὕδοιμι*. *Ἔχοιεν* autem non vere concessive, sed alia jam quadam notione usurpatur, propiusque accedit ad *hypotheticum*, qui concessivo proximus est, sed in sententiis tantum negativis certo distingui potest, negatione sc. *non* (*οὐ*). Nascitur enim hypotheticus ex potentiali. cf. infra sub e.

In sententiis negativis praeter has functiones nulla alia exstat.

---

1) Cf. rationem qua derivandum censuimus conjunctivum concessivum. p. 66.

d. Altera autem notio principalis est *potentialis.* (neg. non, *οὐ.*)

e. g. in locutionibus quae saepissime usurpantur: *dicat, dixerit* quispiam. λέγοι, εἶποί τις ἄν: „iemand zou kunnen zeggen." Ovid. Met. 6. 193. sum felix! quis enim *neget* hoc; felixque manebo. Hoc quoque quis *dubitet?*

Inde oriuntur optativi, quibus quis utitur in voluntate minus fortiter enuntianda, in modeste aliqua re contendenda, ubi optando aliqua res indicatur, quam effectum iri fere constat. Quo certior optationis effectus, eo propius optativus accedit ad *futurum.*

e. In quodam rerum statu fingendo usurpatur *hypotheticus.* cf. sub c.

Non est quod miremur, conjunctivum et optativum inter se tam contiguos factos esse, ut promiscue usurpentur, donec in lingua latina in unum coaluerint conjunctivum. Etenim quo certius et facilius id, quod optatur, effici potest, eo citius ex optatione fit voluntas, eoque citius notio potentialis abit in consilium, in futurum. In sententiis hortativis et precativis, concessivis et hypotheticis, in sententiis in quibus ét conjunctivus ét optativus accedunt ad notionem futuri, in omnibus denique hisce constructionibus tam tennuia et subtilia sunt conjunctivi et optativi discrimina, ut saepissime dijudicare non possimus sitne conjunctivus latinus conjunctivus an optativus originalis.

Paucissimis agendum est de optativi orationis obliquae notione praeteritali in lingua graeca. Quae notio non inhaeret

optativo, sed nascitur ex sententiarum contextu, in sententiis primariis praecedente tempore historico.

Ex eo jam, quod apud Homerum non invenimus hunc usum optativi, colligi potest eum recentius esse ortum. (excipiendus modo Odyss. 19. vs. 463). Optativus, qui tali modo usurpatur originitus est potentialis. In contextu autem sententiarum in lingua posteriore sententia optativo modo enuntiata, quae originitus erat primaria paratactica, transit in sententiam secundariam hypotacticam, unde videtur indicativus orationis directae transire quasi in optativum in oratione indirecta.

Simili ratione explicandi sunt conjunctivus et optativus in ceteris sententiis secundariis, sive relativis, sive a conjunctione pendentibus. Non enim, quod vulgo dicitur, relativa vel conjunctiones *regunt* modos. Modi autem eandem vim habent in sententiis secundariis atque in sententiis primariis; relativis et conjunctionibus exprimitur tantum relatio inter duas sententias.

§ 5. Quam autem significationem habeant *conjunctivus* et *optavivus aoristi* jam non opus est ut fusius explicemus; facile enim derivatur ab omnibus quae sub § § 2. 3. 4 disseruimus.

Exempla autem formarum in—*so*—*sim*, quae contuli Cap. III, cum accurate interpretamur, lucide apparebit, omnes earum formarum functiones facillime explicari ex aoristi notione, additis, quas conjunctivo et optativo vindicavimus, notionibus. Cum praeterea evidens videatur ety-

mologia aoristi formarum in—*so*—*sim*, facile caremus hypothesi originis perfectivae.

Cap. III. § § 1. 2. 3 collegi omnia exempla, quibus verum optativum originalem vindicandum censeo. Quae cum interpretanda examinamus, statim agnoscimus nullam omnino adesse notionem *praeteriti* vel *perfecti*.

Omnibus enim locis is, qui loquitur, optat, cupit modo *quandam actionem fieri* nihilque addit neque de tempore neque de qualitate et genere actionis. cf. § 1. a. b. p. 60.

Contenderit quispiam e. g. apud Plautum eodem usu et sensu quo formas in—*sim* legi conjunctivum *praesentis*. Non nego, nec tamen in ea re quicquam inest argumenti contra formas sigmaticas. Contendamus tantum licet, praesens, quod est tempus actionis imperfectae, saepissime prope accedere ad notionem aoristi, actionis absolutae. Neque in ea re est quod miremur. Aoristus enim cum evanesceret, ejus in modis subjectivis functiones potissimum transierunt in praesens. Inde nobis, qui amisimus notionem aoristi, saepe difficillimum est dijudicare verum notionis discrimen inter dicta qualia: „di te amassint" et „di te ament." Attamen compares velim *di te servassint* cum eo, quod legimus Asin. 654. *Juppiter te mihi servet.* Utroque loco nos vertimus *moge(n)—bewaren;* nemo tamen negabit quoddam exstare discrimen qualitatis actionis („aktionsart") inter formas *servassint* et *servent.*

Quanquam nemo est, qui *revera* contendat in hisce veris optativis adesse notionem perfecti; atque ego quidem opinor,

si tantum superessent exempla de quibus egimus, neminem unquam formas sigmaticas perfecto ascripturum fuisse [1]).

Sequitur in exemplorum serie *potentialis*, cujus praecipue frequenter leguntur formae *faxim* et *ausim*. Neque hae formae, neque ceterae, quae eadem ratione adhibentur: *negassim*, *empsim*, *transaxim*, *cohibessit*, *optassis*, quicquam indicant nisi notionem potentialem *actionis absolutae*. In lingua graeca formae *(non) faxim* nihil respondebit nisi (*οὐκ*) *ἂν ποιήσαιμι*. Non magis quam ex veris optativis, ex hisce potentialibus explicare possumus nostrarum formarum et perfecti cognationem.

Attamen, quod supra dixi p. 49, *hypotheticus* in sententiis condicionalibus obstare videtur notioni aoristi agnoscendae, cum in quibusdam exemplis p. 40 laudatis, inepta ista futuri exacti notio solita vera et justa esse videatur. Quare potius ea exempla recensenda putavi sub conjunctivo originali, qui in lingua latina indicativus factus est et deinde ratione secundaria iterum conjunctivus fieri potest.

Ut omittam exempla quae minus certa sunt, procul dubio praebent conjunctivum latinum, i. e. optativum hypotheticum originalem, ea, quae sequuntur.

Aulul. 228.

Nunc *si* filiam *locassim* meam tibi, in mentem venit Te

---

1) Obiter comparemus inter se locutiones latinas: *di te ament.* (optat.) et *di te amabunt* (fut.) atque belgicas: *God beware me.* (optat.) et *God zal me liefhebben.* (fut.)

bovem esse et me esse asellum: .... „gesteld dat ik mijn dochter uithuw" cet.

Capt. 712.

Nam cogitato, *si* quis hoc gnato tuo Tuos servos *faxit*, qualem haberes gratiam? „gesteld dat een uwer slaven dit uw' zoon aandeed" cet.

Poen. 1208.

AN. Nimiae voluptatist quod in extis nostris portentumst, soror, Quodque haruspex de ambabus dixit — AG. Velim de me aliquid dixerit. AN. Nos fore invito domino nostro diebus paucis liberas. Id ego, *nisi* quid dei aut parentes *faxint*, qui sperem hauscio. „als niet het geval wil dat de goden of onze ouders wat doen" cet.

Cf. Amph. 69. ed. Ritschl; Asin. 603, 612, 770, 794; Curc. 380; Men. 416; Mil. 1417; Poen. 27, 428; Pseud. 533, 939ᵇ, 1022; Rud. 304, 1345 Truc. 60. De hisce locis judicare nolo, quia parum certi sunt parumque ad rem attinent. Siquis malit, illos recenseat sub indicativo latino et de significatione videat Caput V. [1])

In uno tantum horum locorum e forma etiam constat esse conjunctivum sc. Aulul. 228. Hoc loco si conjunctivus (i. e. optativus) *non pendet* ab acc. c. inf., quod equidem opinor, vertere possumus: „gesteld dat ik mijn dochter *heb uitgehuwd;*" qua tamen ratione ut vertamus, nulla re cogimur,

---

1) Exemplum graecum opt. hypothetici sit Iliad. XIX. 321. 322.

....οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι,
οὐδ' εἰ καὶ τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην.

nisi opinione quadam praejudicata. Immo melius et magis secundum mentis normas vertemus: „gesteld dat ik mijn dochter *uithuw* (aoristus), dan komt het mij in den zin . . . ," cet. Sin autem conjunctivus pendet ab acc. c. inf., *locassim* est oratio indirecta pro eo quod oratione directa foret: *si* filiam meam tibi *locasso*, tu eris bos et ego ero asellus. Hoc si verum est, notio formae *locassim*, quae videtur perfectiva non imputanda est ipsi formae, sed formae *locasso*.

Simili ratione explicanda sunt cetera hypothetici exempla.

Neque magis quam ex veris optativis et potentialibus, ex hisce hypotheticis unquam nasci potuisset opinio de origine perfectiva, nisi exstarent formae in —*so*.

Sequuntur exempla conjunctivi ab originali conjunctivo derivandi. Fortasse aliquis in quibusdam sententiis negativis potius agnoscet optativum originalem; nemo tamen negabit in nullo horum exemplorum formam sigmaticam quandam habere notionem perfecti; immo qui integre judicat facilius e notione aoristi locutiones quales sunt: *cave dixis*, *ne dixis*, *metuo ne faxit*, *cave ne dixis* interpretabitur. Ne ex hisce quidem formis explicari potest origo perfectiva.

Objiciat mihi aliquis, quamvis haec vera sint de vi syntactica, formas tamen in—*sim* artissime se adjungere perfecto in—*si* et inde jam nasci opinionem de origine perfectiva. Attamen paucissimae tantum nituntur perfecto in—*si*. Quare, quod saepius contendi, formae in—*sim* ét notionem ét etymologiam, quae plerumque eis ascribuntur, perfectivas sumpserunt de formis in—*so*.

Superest ut et his abrogemus notionem perfecti easque explicemus origine et notione aoristi. Jam supra, priusquam exempla enumerarem, paucis egi de ratione qua illas formas explicatas volo. Artius autem conjuncta est quaestio de significatione futuri exacti in—*ro*, quam ut hoc capite rem tractare possimus. Qua de causa Capite V acturi sumus de vi syntactica formarum in—*so* et formarum futuri exacti et conj. perfecti per—*r*— fictarum.

CAPUT V.

De vi syntactica formarum in—so et formarum futuri exacti et conj. perfecti per—r— fictarum.

§ 1. Capite IV vidimus facillime omnes, vel certe plerasque formas, quae in lingua latina habeantur conjunctivi, in—*sim* cet., explicari ex *aoristi* notione, neque esse, cur ex hisce tantum formis, unquam exstiterit opinio de origine perfectiva. Formae tamen in—*so*, quae sunt indicativi latini, nostram oppugnare videntur interpretationem, cum prorsus eodem sensu et usu inveniantur quo futurum exactum solitum. Supra autem, p. 52, paucissimis verbis jam adumbravi explicandi rationem, qua adhibita etiam futuri exacti significationem sine ulla difficultate derivare possimus ab *aoristi* notione originali.

Contrarie itaque ei, quod vulgo fit, minime ex similitudine syntactica formarum in—*so* et futuri exacti, quod, a perfecto derivatum, cum eo artissime conjunctum videtur, etiam formis sigmaticis indicativis, et inde conjunctivis, vindicatur notio perfectiva, sed quod conjunctivi in—*sim* nituntur *etymologia aoristica*, eisque inesse videtur *notio aoristi*, indicativorum

in—*so* etiam usus ex quadam notione aoristica explicandus est.

Quae cum ita sint, facere non possumus, quin parem vim syntacticam formarum in—*so*—*sim* et in—*ero*—*erim*, praecipue autem futuri exacti, explicemus ex notione quadam originali formarum in—*ro*—*rim*, quae aut prorsus evanuit, aut, quod rectius fortasse, latet adhuc in quibusdam constructionibus, ubi ratione adhibita eam recognoscere licet.

Quare hoc praemittendum censeo: *neque conjunctivo perfecti, neque futuro exacto originitus inerat notio perfectiva.*

Nec difficile est enumerare aliquot perf. conjunctivi soliti exempla, ubi eodem usu et sensu tempus illud adhibeatur, quo formae in—*sim*.

Cic. Phil. 12. 6. 14. quod dei omen *averterint.*

Bacchid. 334. mihi *dederit* velim.

Casin. 396. deos quaeso, *ut* tua sors ex sitella *effugerit.*

Epid. 258. si aequom siet me plus sapere quam vos, *dederim* vobis consilium.

Capt. 599. quid *si* hunc comprehendi *jusserim.*

Saepissime legitur: *dixerit* quispiam.

Amph. 608. cave *responderis.*

Asin. 374. cavebis *ne commutaveris.*

Non necesse videtur enumerare exempla generis dicendi, quo per *ne c. conj. perf.* indicetur imperativus negativus.

Quod ad futurum exactum, perlegas velim exempla sub Cap. III. B. adlata, ubi invenies formas per—r—et—s— fictas adhiberi eodem usu in eadem sententia; et satis erit investigare usum futuri exacti apud quemvis auctorem, ut tibi

persuadeas formarum sigmaticarum usum Plautinum reliquis scriptoribus prorsus parem esse.

Quam rem explicare non possumus nisi nitimur hypothesi, perfecti latini indicativum continere ét *perfecti* originalis ét *aoristi* originalis indicativum; perfecta ergo in—*si* aliasque perfecti formas existimandas esse aoristos originales sive sigmaticos, sive reduplicatos, sive non—reduplicatos.

Quae ubi pro vero accipimus, statim nos offendet, conjunctivum perfecti et futurum exactum non nisi dificillime existimari posse *formam integram et individuam.* [1]) Fortasse cogitabit aliquis de forma recentius ficta [2]), linguae latinae propria, quae exstiterit post perfectum et aoristum confusa. Quod verum esse posset, si liceret in nostris formis agnoscere compositionem radicis perfecti cum formis √ es. Id vero jam ab initio repudiandum videtur. Talem enim compositionem agnoscere vix licet in formis, quae oriundae sunt ex *historica* fere, quam nos novimus linguae aetate, quia repugnat linguae naturae. At si sint formae *prae-historicae* non magis veri simile videtur, radicem es in compositione eandem servasse formam, quam habeat in verbo simplici. Haec autem compositionis opinio ex externa tantum similitudine formarum, quae huc pertinent, verbi esse, nata est.

Pari laborat difficultate opinio, prototypum nostrarum formarum originitus ascribendum esse *perfecto*, unde post confusionem transierit in aoristum.

---

1) Id dico, quod germanice vocant „einheitliche bildung".

2) „Neubildung".

Syllaba enim *—er— (fec—er—o)*, quod scimus, nulla ratione in quadam perfecti forma explicari potest, nisi compositione ista parum probabili cum √ es.

Tertia igitur, quae restat, opinio examinanda est. Prototypus formarum in*—ro—rim* quaedam est forma originalis *aoristi*, unde prolapsa est per totum perfectum latinum. Eam opinionem cum sequimur, nullam habet difficultatem syllaba *—er—*, quippe quae facile derivetur a syllaba *—ĕ/ə, i/s—*, qua scimus quasdam aoristi formas fingi.

In forma autem primitiva quaerenda statim praetermittendae sunt formae, a formis haud dubie perfectivis derivatae, quales sunt *tutudi*, *dedi*, praeterea omnes in*—vi* et*—ui*. Aeque excipienda mihi videntur perfecta in*—si* (—s aoristi) et perfecta, qualia sunt *fuit, scidit*, *fidit*, *tetigit*, *cecidit*, cet. quae fortasse sunt aoristi. cf. Brugmann. *Grdr*. II. p. 1235. Veri simile enim videtur unamquamque radicem, quae aoristum ex se creare possit, unum modo originitus finxisse aoristum.

Potius ergo quaerenda est forma aoristi originalis, quae in loquentium sententiis artissime conjuncta erat cum quodam perfecti indicativo, unde se extendere poterat per omnia perfecta. Illam formam originalem perf. conjunctivi et futuri exacti prototypum, invenisse sibi videtur Brugmann. *M. U.* III. p. 16. sq. in formis *viderim* et *videro*, quas comparat cum graecis *ᾔδη, εἰδῶ, εἰδείην*, nisi quod graecarum formarum forma originalis est*—ĕs—*aoristus, latinarum autem*—ĭs* —aoristus. (Skt.*—əs—*vel*—is—*). cf. *Handb*. II. p. 168; *Grdr*. II. §§ 836. 841.

indicativus: *e—u̯eid—ĕ (ə. i) s—m̥. Skt. avēdisham; Gr. ᾔδη <*—Ϝειδ—εσ—α; Lat. vid—is—[ti], vid—er—[am].

conjunctivus: u̯eid—ĕ (ə. i) s—ĕ (ŏ)— Skt. vēdishāni (forma prim. *vēdishā), vēdishăs, vēdishăt; Gr. εἰδῶ< *Ϝειδ—εσ—ω (in ceteris personis hic conj. transiit in conjunctivum indicativorum thematicorum per—ē—ō— fictum); Lat. videro <*u̯eid—is—ō, videris.

optativus: *u̯eid—ĕ (ə. i.) s—i̯ē (ī)—m. Skt. *vēdishyām; Gr εἰδείην< *Ϝειδ—εσ—ιη—ν, εἴδειμεν <*Ϝειδ—εσ—ῑ—μεν; Lat. viderim <*u̯eid—is—iē—m. (—i̯ē— abiit in—i— analogia pluralis), viderīmus <*u̯eid—is—ī—mus. (plerumque ĭ ex conjunctivo translatum pro ī.)

Comparandae sunt autem formae √ i.

Forma ᾖα, cujus probabiliorem fuisse formam contendit Brugmann *Grdr.* II. p. 1194. ᾔεα vel adeo ᾕεα, loco ᾔια, quod est traditum, derivanda creditur a forma *ε—εί—εσ—α.

indicativus: *e—e̯i—es—m̥. Skt. aor. med. āy—ish—ṭa. Lat. i—is—[tis].

conjunctivus: *e̯i—is—ĕ(ŏ)— Lat. iero.

Umbr. eest. <*e̯i—es— et(i) = ibit.

optativus: *e̯i—is—i̯ē—m> ierim.

Itaque, ut in lingua graeca ᾔδη erat prototypus posterioris plusquamperfecti, ita in lingua latina formae videro, viderim, iero, ierim, sunt fundamentum quo nituntur futurum exactum et conjunctivus perfecti. Quae formae facillime conjungebantur cum indicativis *vidi* et ĭī. (antiquitus īī. Skt. *īy—ē, īy—ur. <*i̯i—a̯i.) Obiter animadver-

tendum inde explicari, quare perfectum verbi *ire* plerumque careat littera *v*. cf. Solmsen. *Stud. z. l. l.* p. 179. Osthoff. *Perf.* p. 225.

Sive tantum ex hisce formis videro et iero sive etiam ex formis quales *scii: sciero*, *—cii: —ciero*, *—sii: —siero* nascebatur copulatio et quasi necessitudo conjunctivi et optativi aoristi atque indicativi perfecti, plurima exstant perfecta, a quibus analogia trahente derivari possent formae in—ro—rim, ita ut ab illis profecta per analogiam extenderentur per omnes perfecti indicativos. Partim ex sententiarum contextu, partim ex analogia et systematis necessitate (systeemdwang") formae in—ro—rim eodem tempore acceperunt notionem futuri perfecti et conjunctivi perfecti. Loquentium sensibus abstrahebantur suffixa, quae esse videbantur, a radice perfecti, et deinde existimabantur formae verbi esse. (Item in indicativo et conjunctivo plq.perfecti et in infinitivo.) Romanis, qui systemate omnia comprehendere studebant, non sufficiebant paucae quaedam formae harum similes, sed cuique paulatim perfecto suffigebantur talia quasi-suffixa. Quo vero magis extendebatur forma illa recens facta („neubildung") per totum perfectum, eo magis particeps facta est notionis perfecti, etiam, immo praesertim cum fingeretur a veris perfectis originalibus. Qua ratione exstitit pulcherrimum illud, quod videtur, systema perfecti. Etenim, quoque perfecti *indicativo* additis indicativo imperfecti et futuri conjunctivo praesentis et imperfecti verbi esse, fingebantur quasi indicativus plq.

perfecti et fut. exacti nec non conjunctivus perfecti et plq. perfecti.

Re ipsa intellegitur, accurate indicari non posse, qua ratione et successione per longum spatium temporis exstiterint nostrae formae. Non *statim* per totum perfectum extendebatur analogia, neque statim novae formae solam accipiebant perfecti notionem aut evanescebat notio originalis aoristi, quae formis prototypis inhaerebat partimque necessario transibat in novas formas.

Formae autem sigmaticae originitus eodem usu et sensu erant quo aliquot formae pleniores. Quare tamen a formis per —r— fictis analoga derivabantur, nec a formis sigmaticis ulla fingebantur similia? Quia longe iniquiore erant condicione, quam ut possent certare cum formis per—r fictis. Minime enim nitebantur necessitudine, quam dixi, systematica („systeemdwang").

Postquam forma originalis, unde ortae erant, aoristus sc. sigmaticus, in lingua latina per se non jam exstabat transiitque in perfectum, conjungebantur quidem cum *perfecto*, attamen modo cum minima parte perfecti, cum perfectis in—*si*, quae praeterea tantum fingebantur a radicibus consonanticis. Qua re prohibebantur formae sigmaticae quominus analogia extenderentur.

Formae contra in —*ro*—*rim* mediae quasi erant nec cum ulla propria indicativi perfecti forma conjungebantur.[1])

---

[1]) *Indifferent*, wat betreft den vorm van den ind. perf.

Itaque formae sigmaticae, non jam vitales, paulatim obsoleverunt et evanuerunt. Functiones formarum sigmaticarum deinceps transierunt in formas in—*ro*—*rim*, unde tamen magis magisque crescente conjunctione cum perfecto, partim revera, partim specie tantum amotae sunt tralataeque in alias verbi formas.

§ 2. Maxime id factum est in *conjunctivo perfecti*, quia in hac forma notio originalis nulla nitebatur causa accessoria.

In sententiis *optativis*, quales sunt: *ita di faxint*, *di te servassint*, etiam si quis formas *faxint* et *servassint* ascriberet perfecto, non pro iis poterat dicere *fecerint* et *servaverint*, quia in illis formis nimis sentiebatur vis perfectiva perfectivorum *feci* et *servavi*. Conjunctivus perfecti, ubi legitur in sententiis *optativis*, quales paucae quaedam inveniuntur, plerumque existimare licet auctorem revera indicare voluisse notionem perfecti; idemque ratum est de conjunctivo perfecti *concessivo*. Etiam apud Plautum quem perlegens circa 50 adnotavi locos, ubi utitur conj. perfecti sensu non-perfectivo, unam vel duo tantum inveni sententias optativas cum conjunctivo perfecti sensu aoristi adhibito e. g. Cas. 396. deos quaeso, *ut* tua sors ex sitella *effugerit*.

Saepius invenimus conjunctivum perfecti *potentialem* et *ne c. conj. perf.* ad indicandum imperativum negativum. (accedunt constructiones *cave* et *cave ne* e. conj. perf.). De usu potentiali cf. Fr. Cramer. *de perf. conj. usu potentiali.* diss. Marburg. 1886. Exempla Plautina potentialis

adhuc exhibent originalem aoristi notionem; notio enim perfecti prorsus repugnat usui potentiali. Apud Terentium consulto formae per —r— fictae usurpantur pro formis sigmaticis, et illae etiam sensu originali. Post Ciceronem demum frequentatus est usus potentialis conjunctivi perfecti notitia linguae graecae, in qua frequentissimo in usu erat potentialis addita particula sc. *ἄν*. Hujus potentialis usu adducebantur Romani ut conjunctivo potentiali „sententias et judicia leniore et blandiore vestimento induere[nt]". (Cramer). Linguae item graecae notitia adducti sunt, ut discernerent in lingua latina graecum aoristum addito *ἄν* et praesens addito *ἄν*. Graeco praesenti respondebat praesens latinum, at aoristo nihil erat, quod responderet nisi perfectum, praesertim cum in indicativo haberat praeter suam notionem etiam aoristi. [1])

Itaque conjunctivus perfecti recuperavit notionem originalem in usu potentiali, eo facilius quod nunquam prorsus obsoleuerat ille usus. Attamen artis finibus semper comprehensus est, quia loquentium sensibus conjunctivus perfecti erat conjunctivus indicativi perf., et aoristi functiones magis magisque transibant in praesens.

Restat ut agamus de *conj. perf.* addito *ne*, quo solet indicari imperativus negativus. Apud Plautum 17 inveni locos ubi legitur *ne c. forma sigmatica* et 22 ubi posita est *forma in—rim.* Pari ergo in usu sunt in hisce

---

[1]) Cf Cramer. l. l.. p. 67.

sententiis; apud Terentium tamen una tantum [1]) legitur forma sigmatica post *ne*. Formae igitur per—r—fictae ét propter originem ét propter aequiperationem cum formis sigmaticis acceperunt usum qui a perfecti notione alienus est. Fortasse etiam hic usus obsolevisset et transiisset in praesens, paucissimis formis exceptis, nisi eodem modo, quo usus potentialis, linguae graecae notitia latius perrexisset. In latinitate archaïca saepe usurpabatur *ne c. conj. praes.* sed postea, ut in lingua latina idem discrimen enuntiaretur, quod graeca exprimitur constructionibus *μὴ ποιῇς* et *μὴ ποιήσῃς*, ne c. conj. praes. adhibebatur in *praescriptis generalibus* et *in sermone familiari*, in ceteris tamen imperativis negativis frequentatus est usus conjunctivi *perfecti*, quod ad formam, *aoristi*, quod ad notionem. Si quis quaerit, quare hic usus certae fere normae acceperit vim, nihil equidem habeo quod respondeam, nisi forte hac in re Romanis opus fuit quodam systemate et constantia.

Idem quod de *ne c. conj. perf.*, dicendum est de *cave* (*ne*) *c. conj. perf.*

Tempore Plauti jam prorsus transiit conjunctivus perfecti in systema perfecti, excepto usu potentiali et prohibitivo, de quibus egimus. Lübberto auctore apud Plautum 215 invenimus locos ubi usus est conjunctivo perf. sensu praeteritali, ± 50 contra, ubi servatur notio aoristi [2]).

---

[1]) Heaut. 187.

[2]) Exceptis *sirit* cf. Solmsen. *l.l.* p. 179, *fuerim* cet. et perfectis praesentibus *novi*, *odi*, *memini*, *perii*.

Post Plautum obsoleverunt formae conjunctivi sigmatici. Apud eum circiter 95 inveniuntur hujus formae exempla, a paucioribus tamen verbis derivata; ita ut jam quasi formulae factae esse videantur, quales paucae quaedam numero, praecipue *faxim* et *ausim*, postea adhuc in usu sunt. Apud Terentium 13 tantum leguntur conjunctivi sigmatici (itaque pro numero comoediarum comparato cum Plautino 39), quorum 9 derivantur a verbo *facere.* Itaque illo tempore non jam sunt sermonis urbani.

Obiter animadvertendus est proprius quidam usus formae *videri(n)t* apud Ciceronem et posteriores ubi indicatur res, quae alieno iudicio relinquatur e. g. Cic. Tusc. II. 42. sitne igitur malum dolere necne, *viderint* Stoici.

Oriturne hic usus inde, quod *viderit* est prototypus conjunctivi perfecti? Conferendum quod infra dicturi sumus de usu formae *videro.*

§ 3. Restat ut paucis agamus *de formis in—ro et—so*, quae indicativi sunt in lingua latina. Altius res repetenda est et iterum laudandum, quod scripsit Lübbertus *l. l.* p. 80.81. „Man hat auch bei diesen formen (sc. in—so) .... gewöhnlich der meinung gehuldigt, dass ein syntaktischer unterschied der synkopierten und der volleren formen nicht bestünde..... [aber] die volleren formen des futurum exactum bezeichnen in dem ausgedehnteren theile ihres gebrauchs das *rein zeitliche bevorstehen einer vollendet gedachten handlung.* Sie enthalten gewöhnlich eine reine zeitangabe, indem sie die vollendung der bezeichneten handlung mit

bezugnahme auf eine andre handlung als den ausgangspunkt, von dem ab diese andre beginnt, bestimmen ..... Die synkopierten formen ..... haben die fähigkeit der rein temporalen bedeutung nur in der ersten person singularis (*faxo*, *amasse*), in allen übrigen personen dagegen bezeichnen sie noch ein *bedingt* bevorstehendes sein, sie enthalten noch nicht eine directe zeitangabe in der zukunft, sondern drücken das bevorstehende sein gleichsam *mit einem anflug, einer leisen färbung von hypothetischen charakter aus.*" Eadem notione hypothetica etiam leguntur formae in—*ro*. Usus ille utrarumque formarum in sententiis condicionalibus, et quae iis pares sunt, est usus originalis conjunctivi aoristi. Supra jam diximus in condicionibus conjunctivum indicare id quod jam pro certo praesumatur[1]). Inde nascitur indicativus linguae latinae post *si;* attamen quia id, quod pro certo praesumitur, nondum certum est, remanet semper in condicionibus notio illa hypothetica. At vero, objecerit aliquis: in versione nunquam exprimitur notio aoristi; utraeque formae hypothetice indicant *actionem perfectam*. Concedo, sed tamen in versione modo indicant perfectum, neque id a natura formarum derivandum est. Supra, antequam exempla in—so enumerarem, adumbravi rationem, qua hae formae interpretanda sint. Jam statim ubi comparamus usum linguae graecae, quae retinuit aoristum, dubitandum videtur de nostrarum formarum notione perfectiva. Latinum enim *si fe-*

---

1) Voraussetzung.

ceris graece erit ἐὰν ποιήσῃς Vertere quidem possumus: „indien gij gedaan zult hebben”, ét graecum ét latinum, sed cum eo modo vertimus, ita vertimus tantum propter contextum, et, quod ad formam latinam, propter cognationem et conjunctionem cum perfecto, Quare accuratius disserendum de ratione interpretandi formarum in—*so* et—*ro*.

Aulul. 57. „*si ex istoc loco excesseris aut si respexis, ego te dedam discipulam cruci*” utriusque formae praebet exemplum pari usu. Concedas mihi, formas *excesseris* et *respexis*, quod ad formam, aoristos esse posse. In condicionibus semper originitus adhibendus est aut *conjunctivus* aut *optativus; indicativi* enim indoles repugnat condicionis naturae quoniam actio condicionalis non immediate et tamquam res realis percipitur, sed mediate et non tamquam res realis cogitatur [1]) de cujus effectu nondum constet. At quo certius, quod est in condicione, praesumitur, eo potius utendum erit conjunctivo aut optativo. Conjunctivus autem adhibetur si constat fere condicionem effectum habituram, et ex hoc conjunctivo oritur indicativus in condicionibus, quo utitur lingua latina. Ille indicativi tamen usus minime originalis existimandus est. *Excesseris* autem et *respexis*, si sunt aoristi formae, sunt conjunctivi aoristi.

Sicut in sententis secundariis, quibus continetur notio notionem primariae antecedens, [2], quales sunt condicionales, optativus originitus est hypotheticus, item originitus con-

---

1) Cf. p. 61.

2) Priorische bijzinnen.

junctivus est *hortativus;* conjunctionibus indicatur tantum vinculum sententiae primariae et secundariae, fitque ex conjunctivo hortativo conjunctivus quo indicatur id, quod jam pro certo praesumitur. („voraussetzung"). Igitur proprie vertemus: „*ga weg* of *zie om*, dan zal ik je," nec praesente, nec perfecto, sed aoristo. Addita conjunctione *si* sententia reddi potest versione: *verondersteld, gij gaat weg of kijkt om,* cet.

Deinde tria nova cogitata subnasci possunt:

a. actio condicionalis alteri tempore anteit;

b. actio condicionalis aliqua quidem ex parte perfecta sit necesse est, antequam altera incipere possit.

c. actio condicionalis, nondum perfecta, pendet ab ipsius qui loquitur, vel alterius voluntate; in futuro igitur perficietur.

Unde oritur interpretatio et versio „*indien gij weggegaan zult zijn of omgekeken zult hebben, dan cet.*.

Videmus igitur notionem futuri exacti in condicionibus, derivari posse a notione aoristi. Attamen interim aoristus transiit in perfectum accepitque notionem, si non veri perfecti logici, at certe notionem actionis praeteritae. Conjunctivi aoristi e contextu quandam accipere possunt notionem praeteritalem et inde vicissim videbatur a perfecto etiam fingi licere formas de aoristo desumptas. Hac mutua quadam notionis et formarum permutatione magis magisque a perfectis, praecipue ubi usurpabantur vi aoristica, fingebantur formae in—*ro*, quae artius vicissim cum perfecto conjungebantur.

Deinde prorsus in formas perfecti abierunt suamque notionem aoristicam, aut specie tantum, aut revera amiserunt.

Cujus rei causae accessoriae etiam hae sunt:

a. formas in—*ro*, quae habent notionem perfecti, quod videtur, etiam a *veris perfectis* fingere licet et revera ita finguntur;

b. interdum actio condicionalis *omnino* perfecta sit necesse est, ut altera incipiat;

c. in perfecti systemate opus erat *futuro perfecti*, quod praebere videntur formae in—*ro;*

d. his formis accuratissime indicari putabant *actionum consecutionem.*

Illis causis hae formae aoristi, qui per se in lingua latina evanuit, latius perrexerunt et insertae sunt in tempus, quod principalem notionem aoristi indicativi suscepisse videbatur, in perfectum.

Formae sigmaticae, quae in eadem sententia eadem leguntur notione qua formae per —r— fictae, a Romanis eidem interpretationi subjectae sunt, praesertim quod partim nitebantur indicativis perfecti in—si.

In glossis igitur utrasque formas pares existimant et indidem derivandas putant. Jam dixi aequiperationem formarum in —*sim* et —*rim* tantum ex tralatione futuri exacti natam esse, cum *notio perfectiva*, quae pulcherrime quadret cum usu futuri exacti et formarum in —*so,* minime in formis in —*sim,* quod vidimus ex allatis exemplis, adhibenda est.

Inde nata est inepta ista glossa Nonii in *Pacuv.* 298. ed. Ribbeck: *veniam precor, petens ut quae ago, egi, axim verruncent bene,* in quo Nonius 505. 16. s. v. *axim* interpretatur: *axim: egerim;* quod, quam absurdum sit, statim apparet. Quid enim sibi vult *egerim* juxta *egi?*

Formae autem in —*so*, quibus inerat notio aoristi, quam amisit lingua latina, primum transierunt exemplo formarum in —*ro,* quae perfecto inserta sunt, in sensum perfectivum, et deinde quia nulla verbi forma nitebantur, obsoleverunt eorumque locum obtinuit futurum exactum, nova perfecti systematis forma vitalis.

Post Plauti tempus e sermone urbano formae sigmaticae evanuerunt. Non tamen eatenus ut formae in —*sim*, apud Plautum formae in—*so* factae sunt quasi formulae; sed jam Terentius eas quoque rejecit.

Jam apparet notionem, quam agnoscit grammatica, futuri exacti et formarum in—*so*, natam esse ex usu in sententiis condicionalibus et quae eis sint pares.

Usu paululum mutato ex constructione condicionali oritur quod dicit Lübbertus *l. l.* p. 81, „eine reine zeitangabe, indem sie die *vollendung* der bezeichneten handlung mit bezugnahme auf eine andre handlung als den ausgangspunkt, von dem ab diese andre beginnt, bestimmen." Evanescit *levissima illa notio hypothetica*, quam recte animadvertit Lübbertus p. 81 in formis in—*so* et multis formis in—*ero*, atque majoris fit momenti notio *perfecti;* ponitur in condicione *actio usque ad finem perfecta*, antequam

altera incipere possit. Non tamen visa est exstare causa, quare in exemplis enumerandis, auctore Lübberto secernerem exempla 1[ae] pers. sing. a ceteris quae litteram *i* continent („iota—personen") Quamvis enim plerumque 1[a] pers. sing. habeat notionem „einer reinen zeitangabe," ea notio gradatim nata est ex notione ceterarum formarum, quia, quod facile intellectu, 1[a] pers. sing. minus hypothetice voluntatem vel propositum enuntiat quam ceterae personae.

Notione illa derivata formarum in—*ro* in condicionibus, abstracta est et facile translata in sententias primarias. Ex eo, quod est „*si feceris*," nulla ratione habita originis notionis quae artissime cohaeret cum constructione condicionali, facile deductum est: *feceris* = *gij zult gedaan hebben;* ita natum est futurum perfecti, analogiam sequens futuri praesentis. Formae sigmaticae *nunquam* talem acceperunt notionem, idque mea quidem opinione, quod formae per se exstantes non nitebantur perfecto. Notionem quandam perfectivam acceperunt in *condicionibus* sed tantum ex analogia notionis formarum in—*ero*, quae tamen notio formarum in—*so*, *absoluta* fieri non poterat quia nullo systematis adminiculo nititur. Sola forma *faxo* differt a formis ceteris; plerumque enim usurpatur pro *futuro* = faciam. [Poen. 888 *indicasso* (Madvig) et Miles 328. *observaviso* (Lübbert) praetermitti possunt]. Haec forma *faxo* existimanda est *conjunctivus aoristi* originalis notione futuri, qui jam in lingua vetustissima usu arreptus, quasi factus est immutabilis formula. Obitur anim-

adversum volo post *faxo* originitus ponendum esse *conjunctivum.* cf. Lübbert, p. 101.

Maxima laborat difficultate usus formarum in—*ero* cet. (praecipue 1ae pers. sing) in sententiis primariis, ubi ét apud Plautum, ét apud posteriores habent notionem *futuri.*

Quem usum Madvigius in 7 dividit classes; quae tamen divisio non est magni momenti, quia non nititur forma verbali, sed vocabulis quae accedunt. Jure id animadvertit Meifart. *de fut. ex. usu plautino.* diss Jena 1885, consentiente Cramer. *Arch. f. lat. lex.* IV. p. 594 sqq.

Qua tamen ratione ille usus explicabitur? Non licet cogitare de fortiore genere, quod dicunt, dicendi („energie des ausdrucks"), quo, quod futurum est aliquid, pro jam perfecto praesumitur. Potius ille usus formarum in—*ero* derivandus videtur a notione originali, conjunctivi sc. aoristi, et ad hanc opinionem firmandam adducendum imprimis quod *videro*, prototypus posterioris futuri exacti, hanc accipit et admittit notionem futuri primi.

Nec sane id ita fieri potuisse negari potest; attamen non ea ratione ille mihi usus interpretandus videtur. Mirum enim foret Plautum, apud quem in ceteris constructionibus jam posteriorem notionem futurum exactum acceperit, tam integre servasse in forma 1ae pers. sing. in sententiis primariis notionem conjunctivi aoristi, quae facillime transeat in notionem futuri. Fuit quidem notio illa originalis quasi fundamentum posterioris usus, ipse vere aliunde explicandus est, et quidem ex sententiis, quales sunt: Pseud. 512 *si*

apstuleris, mirum et magnum facinus feceris. Capt. 659. *pol si istuc faxis, haud sine poena feceris.* Quae sententiae cum scribebantur, jam diu formae *apstuleris* et *faxis* Romanis hoc significabant: *(si) actio auferendi et faciendi a te perfecta erit.* At si perfecta erit, alia actio *fiet* vel, quod huc pertinet, *facta erit.* Etenim in utraque sententia simul atque actio auferendi et faciendi perfecta erit, eodem tempore perfecta erit actio („magnum facinus" et „haud sine poena") faciendi. Unde natum est praescriptum grammaticum: actio in sententia primaria et secundaria, cum eodem tempore in futuro perfecta fingitur, utendum est futuro exacto. Similia exempla sunt: *Si dixero mendacium, solens meo more* f e c e r o. *Argentum nisi quis dederit, nugas* e g e r i t. *Quod si non dederit atque hic dies praeterierit, ego argentum, ille jusjurandum* a m i s e r i t.

Ex talibus sententiis facile aliquis efficere poterit futurum exactum in sententiis primariis non multum differre a futuro primo, eo magis cum saepissime etiam leguntur sententiae secundariae in futuro exacto, quarum sententiae primariae sint in futuro primo.

Accedit quod juxta sermonem urbanum, sermo vulgaris libenter longis verborum et formarum ambagibus aliquid enuntiat. Talia inveniuntur e. g. Bacch. 695. *perge ac facile* p e r f e c e r i s. Capt. 344. *at nil est ignotum ad illum mittere; operam* l u s e r i s. Men. 271. *cape atque serva: me lubente* f e c e r i s. ibid. 661. *ego faxo referetur. Ex re tua, ut opinor,* f e c e r i s. cet. Comparandae sunt

nostratum dictiones vulgares: *wat wou u gehad hebben? Ik zou hem graag eens gesproken hebben*, in quibus vulgus utitur perfecto pro praesente.

In exemplis, quae enumeravi, quadam argumentatione explicari potest futurum exactum, quod tamen eodem tempore tam prope accedit ad futurum primum, ut in sermone vulgari, qualis est sermo Plautinus, maxime percrebresceret usus futuri exacti pro futuro, et quasi formula fieret, praecipue in 1[a] pers. sing.

Usus tamen ille, quamquam nititur fortasse notione originali, ortus est, postquam futurum exactum factum erat futurum *perfecti*. Quod saepissime futurum exactum pro futuro legitur in fine versuum, quia maxime metro aptum est, eo fortasse explicabitur quare tantopere extenderetur, id vero rei rationem non mutat. cf. Cramer. *Arch. f. l. l.* IV. p. 595. Apud posteriores praecipue legitur tali usu *videro*. Oriturne id inde quod *videro* est prototypus futuri exacti? Draeger. *Histor. Synt.* I. p. 260. *novem* enumerat locos Ciceronis, et in illis *unum* ex libris ad Att; *sex* exempla aliorum verborum, et in illis *quatuor* ex libb. ad Att.; praeterquam in vocabulo *videro* videtur ergo ille usus fut. exacti pertinere ad sermonem familiarem. Comparandum est quod p. 87 diximus de usu conjunctivi perfecti *viderim*.

Itaque in sermone urbano posteriore ille usus evanescit quia in talibus constructionibus fut. exactum non quadrat cum vera temporum in sententia relatione. Vitalis modo

erat constructio futuri exacti in sententia primaria et secundaria quando utraque actio eodem fit tempore.

Itaque futurum exactum linguae latinae in constructione condicionali et relativa saepissime, quamvis loquentium sensibus prorsus mutatum est, revera *originalem* praebet *notionem conjunctivi aoristi.*

Formae denique sigmaticae, conjunctivi et optativi aoristi sigmatici paulatim loco suo pulsae sunt formis alterius aoristi sigmatici, quae tamen perfecto et inde verbi latini systemati se adaptaverunt; formae autem nostrae in—*so*—*sim* nulla, post aoristum et perfectum confusa, forma pro adminiculo nitebantur.

Apud Plautum vivunt adhuc in sermone familiari vel paene vulgari, apud Terentium evanuerunt in sermone politiore. Si licet quicquam colligere e XII tabb. fragmentis, contendere poterimus anno circiter 450 aCn formas sigmaticas, si non *solas*, attamen fuisse *praecipuas*, at vero magis magisque obsolescentes vitam traxisse usque ad Plauti tempora, circiter annum 150 aCn.

Quae post Plautum leguntur formae aut formulae inmutabiles sunt, aut in documentis publicis desumptae sunt de antiquioribus documentis, aut apud scriptores posteriores archaïsmi.

Quousque in sermone vulgari vixerint, fortasse effici poterit ex hodierna lingua latina vulgari, linguas dico Romanas.

THESES.

THESES.

I.

Tacitus. Ann. 16. 19. Audiebatque referentes nihil de immortalitate animae cet.

legendum: audiebantque referentem.

II.

Cicero. pro Milone. 5. § 12. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit.

legendum: immo.

III.

Juvenalis. Sat. 12. 73. ed. Weidner.

. . . . . cui candida nomen
scrofa dedit; laetis Phrygibus miserabile sumen,
et nunquam visis triginta clara mamillis.

legendum: mirabile numen.

IV.

Plautus. Miles. 436—438, 808 potissimum accipiamus Spengelii conjecturam, quae optime quadrat cum codicum lectionibus.

V.

ibid. 1005. Priusne quam illam oculis tuis?
legendum: tueris.

VI.

Lat. *tribus*, Umbr. *trifo*, *trefi* atque Hibernicum *treb (trebaim*, *attrebad*, Gall. *Attrebates)*, Cymr. *tref*, artissime et proxime inter se cognata esse videntur, praetermissis, quae afferunt Uhlenbeck Etym. Wb. d. Got. Spr. s. v. *þaúrp* et von Planta Gramm. der Osc. Umbr. dial. I. p. 430.

VII.

Euripides. Phoenissae (ed. Dindorf) 1570—1576.

ηὗρε δ'εν 'Ηλέκτραισι πύλαις τέκνα
λωτοτρόφον κατὰ λείμακα λόγχαις
κοινὸν ἐνυάλιον
μάτηρ, ὥστι λέοντας ἐναύλους,
μαρναμένους ἐπὶ τραύμασιν, αἵματος
ἤδη ψυχρὰν λοιβὰν, φονίαν,
ἅν ἔλαχ' Ἅιδας, ὤπασε δ' Ἄρης.

restituatur v. 1573 *post* v. 1570.

VIII.

Euripides. Jon. 957.

αἱ ξυμφοραί γε καὶ τὸ λανθάνειν μόνον.

legere poteris:

ἐν ξυμφοραῖς γ'ἄμεινον λανθάνειν μόνον.

IX.

Sophocles. Oed. Rex. 1375—1377.

ἀλλ' ἡ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος,
βλαστοῦσ' ὅπως ἔβλαστε, προσλεύσσειν ἐμοί;
οὐ δῆτα τοῖς γ' ἐμοῖσιν ὀφθαλμοῖς ποτε
οὐδ' ἄστυ κ. τ. λ.

legendum censeo:

ἀλλ' ἡ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος,
βλαστοῦσ' ὅπως ἔβλαστε· προσλευσσειν δ' ἔτι
οὐ δῆτα τοῖς γ' ἐμοῖσιν ὀφθαλμοῖς πάρα
οὐδ' ἄστυ κ. τ. λ.

X.

Sophocles Electra. 1171. 1172.

θνητοῦ πέφυκας πατρὸς, Ἠλέκτρα, φρόνει·
θνητὸς δ'Ὀρέστης·

corrigendum:

θνητοῦ πεφυκὼς πατρός, Ἠλέκτρα, φρόνει,
τέθνηκ' Ὀρέστης.

XI.

Thucydides. II. 25. § 5.

παραπλεύσαντες δ' οἱ Ἀθηναῖοι ἐπ' ἄλλα χωρία ἐδῄουν.

legendum ἔτ' *pro* ἐπ'.

XII.

ibid. V. 15. § 1.

ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοι τε καὶ ὁμοίως σφίσι ξυγγενεῖς.

pro ὁμοίως *corrigatur:* ὁμοῖοι καί.

XIII.

Iliad. XIX. 321. 322. ed. v. Leeuwen.

οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλό πάθωμι

οὐδ' εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθώμην.

accepta Duentzeri *lectione* εἰ καὶ *pro* εἴ κεν, *revocentur e codicibus optativi* πάθοιμι *et* πυθοίμην.

XIV.

Het is noodzakelijk, dat de voor het doctoraal-examen in de Nederl. letteren gestelde eischen:

a. *de beginselen van het Sanskrit,*

b. *de beginselen der vergel. Indog. taalwetenschap in het algemeen,*

ook voor het doctoraal-examen in de Klassieke letteren worden verplicht gesteld, onder verplichting der faculteit, in dit opzicht met de wetenschappelijke neigingen van den examinandus rekening te houden.

XV.

Het verplicht gebruik van het Latijn voor het schrijven en verdedigen van het proefschrift tot verkrijging van den graad van Doctor in de Klassieke letteren, worde minstens verzacht tot een *aan de faculteit toegekend recht van dispensatie.*

XVI.

Het is wenschelijk, dat meer dan het geval is, het door de professoren aangemoedigd en in de hand gewerkt worde, dat een student *minstens éénmaal* in zijnen studietijd *van universiteit verandere.*

XVII.

De geschiedenis als verplicht examenvak voor de Nederlandsche en Klassieke letteren vervalle.

Daarvoor trede in de plaats eene volledige historische opleiding met een afzonderlijk doctoraat, aan welke opleiding de bevoegdheid tot geschiedenis-onderwijs worde verbonden.

In de plaats van het examen zullen treden wederzijdsche testimonia.

XVIII.

Ten onrechte zegt W. Ihne. *Röm. Gesch.* II. p. 101, dat den huurlingenoorlog te Carthago in 241 slechts „der kleine Anstoss" was „um das stolze gebäude der Karthagischen herrschaft ins schwanken zu bringen.

XIX.

Een zeer plausibele verklaring der woorden *patrimonium*, *patronus*, *matrimonium*, *matrona* is die, gegeven door H. Genz. *das patric. Rom.* p. 21.

XX.

Tegen de bewering dat de *patrum auctoritas* een recht zou zijn van de *patricische senatoren alleen*, pleit m. i. als zeer sterk argument, dat de historie niets weet van pogingen der *plebejische* senatoren om zich van dat recht meester te maken.

XXI.

De basis der Rom. *gens* is de *bloedverwantschap;* als zoodanig is zij de staatsrechtelijke voortzetting der „joint family."

XXII.

Parmenides leert de identiteit van *gedacht worden* en *zijn*.

cf. Zeller. *Die Philosophie der Griechen*. I. I. p. 558. A. I.
